

SINGVLARIA

1.231. n. 12.

DE

TRANSACTIO. NVM STABILITATE ET INSTABILITATE CAPITA.

DISSERTATIONE IVRIDICA

DISPV TABVNT

PRAESES

NICOLAVS HIERONYMVS
GVNDLINGIVS ICT.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIAE
REGI A CONSILIIS INTIMIS ET ECCLESIASTICIS
IVRIS NATVRAE AC GENTIVM ITEM QVE ELO-
QVENTIAE ATQVE ANTIQVITATVM PRO-
FESSOR ORDINARIUS

ET

RESPONDENS AVCTOR

II. KALENDAS MAIAS c i o I o cc xix

IOANNES MVLLERVS
BERNAS HELVETIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

1539. A. 15.

SINGULAR

DE

TRIANSAGIT
ESTATE STARINATE
ESTATE CARITA
DISSEMINATIONE JAVRIPICAE
DISTRIBUTIO AVANT
FRAZER

NGOLOVIA HIRRONYMAS
GANIDICIA TOT

DISSEMINATIONE JAVRIPICAE
DISTRIBUTIO AVANT
FRAZER

RESPONDENS VACATOR
KAMINTS MELAS C. 1515 CC XIX
JOANES MULLERAS
DISSEMINATIONE JAVRIPICAE

DISSEMINATIONE JAVRIPICAE
DISTRIBUTIO AVANT

VIRIS

NOBILITATE DOCTRINA AC VIRTUTVM
MERITIS EXCELLENTISSIMIS

IOANNI RVDOLPHO
SINNERO

ILLVSTRI REIPVBLCAE BERNENSI A CON-
SILIIS INTIMIORIBVS ET TEVTONICARVM
PROVINCIARVM QVAESTORI LONGE GRA-
VISSIMO

AFFINI SVO OPTIMO.

ITEMQUE

GABRIELI FRISCHIN-
GIO

DOMINO A RVMLINGEN
SPLENDIDISSIMIS SAEPE PRO REPUBLICA
LEGATIONIBVS FVNCTO
STATORIBVS BONARVM ARTIVM
DOMINIS SVIS BENIGNISSIMIS

FELICITATEM!

VENI SAQ OPLIMO



Vdet hæc dissertatio,
PATRONI summi,
vestra sibi inscribere
nomina publicæ iu-
cunda rei, ac mihi semper omni
veneratione prosequenda. Cogit
enim tot beneficiorum accepto-
rum fidelis memoria, vt publice
melioribus verbis ea prædicem

: [2] ma.

matureque ostendam , quam non
existimem differendam grati animi
solennem testificationem. Atque
facio hoc eo in primis tempore ,
quo a Fridericiana discedo , & ,
posteaquam aliquandiu in discipli-
na celeberrimorum Doctorum me
continui , ad patrios redire lares
cogito. Non dicam , me argu-
menti fiducia nixum , vel libelli ,
quem pro iustitia , & speciatim pro
TRANSACTIONVM STA-
BILITATE ET INSTABI-
LITATE conscripsi , specie in-
ductum in vestrum conspectum
prodire : potius hoc adfirmabo ,
VE STRA me humanitate pelle-
ctum , ingenitoque in **VOS** cultu
inci-

incitatum offerre vobis laborum
meorum pertenues sustinuisse pri-
mitias. Quare enim non offerrem
litterarium hoc munusculum VI-
RIS ingenuas artes & liberalium
disciplinarum studia suis semper
ponderibus exigentibus , meque
ad vera & solida , ad constantia &
immortalia saepe saepius exhortan-
tibus? Itaque dedi operam, ut ve-
strum ingenium atque indoles , i-
staque incredibilis in mansuetiores
Musas propensio externis quoque
hominibus innotesceret; quosque
ego amare, quos suspicere & quos
denique ab adolescentia colere
coepi, omnes itidem boni docti-
que magni facerent, eorumque

]:[3 præ-

prægloriosa desideria posteritati
commendarent. Vnde diffiteri
neutiquam possum, me magnope-
rè cupere, vt quantocius optatissi-
ma & iucundissima consuetudine
VESTRA, vestro itidem fauore, ve-
stra sapientia præsens fruar, qui iam
aliquot annorum interuallis a VO-
BIS segregatus huiusmodi carere
felicitate non sine animi molestia
sum coactus. Sed nunc vero spes
affulget haud leuis, fore, vt quos
cogitatione semper sum comple-
xus, eos intuear coram, quorum
que desiderio atsi, illorum sermo-
nibus sapientia refertissimis re-
creer cum suauitate propediem.
Quamobrem facilitate quæso, MÆ-


CENA-

CENATES, vt in animum leniter, quod scribo, influat; isque patrocinio fruatur vestro, qui omnibus VOS officiis colit, & gratiam ac benignitatem vestram nouis indies modestiae argumentis prouocare nunquam desistet. Et faxit DEVS, vt quemadmodum Reipublicæ summo inferuire ardore contenditis; ita mihi meisque rebus fauere, meque adiuuare ac studia prouehere mea pro excellenti, qua pollutis, sapientia atque auctoritate pergatis. Putabo id in maximis non solum beneficiis; verum etiam committam nunquam, vt aut me summæ in VOS obseruantiæ, aut VOS met denique collatæ in
me

me pœnitentia benicitatis. Valete
& publico Bernatum bono æter-
num viuite. Halæ Magdeburgi.
cæ III. Kalendas Maias

cic cic xix.





CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. **T**ransigendi verbum expensum. Pacisci & transfigere differunt. §. II. Transactionis curata definitio. §. III. Cur appellari conuentio queat, ac forte debeat? Scriptura non requiritur. §. IV. Transactione nunquam gravissim: reciproca est. dicitur. Cironius notatus. §. V. Finit illa lites tam in iudicio, quam extra iudicium, dubiamque causam poscit. §. VI. De re liquida non transfigitur: hinc ficta lis non est transactionis obiectum. §. VII. Quid error efficiat in hac causa? quid falsa instrumenta? Distinctione res expeditur inter errorem essentiam futurae transactionis adtingentem, & non adtingentem. §. VIII. Et valet transactione instrumentis quibusdam deficientibus. l. 19. C. de Transact. explicata. §. IX. Item l. 23. Cod. eodem tit. §. X. De re iudicata & iure iurando decisam non transfigitur. §. XI. Ad pacio post rem iudicatam locum inuenia? Differentia pacis & transactionis copiosus ostensa. Jacobus Gotifredus reprehensus, A. Schultingius laudatus. §. XII. XIII. Quae sint priuato transigentium arbitrio exempta. §. XIV. Ratio prohibitionis, ne transfigatur de alimento futurū testamento reliqis.

CONSPPECTVS DISSERTATIONIS.

lidis. Alimenti vox. Alimenta commoda. Brissonius, Pancirollus, Accursius notari. §. XV. Sichardi & Bartoli distincio de remittendis & adiudicandis alimentis excussa. Talentum commodum, cyathi commodi. §. XVI. Quid sit apud Spartanum INCREMENTVM LIBERALITATIS adiecum alimentis. Casauboni interpretatio reiecta. §. XVII. Praetoris cognitio quare necessaria in transactione de alimentis? an magistratus sola confirmatio sufficiat? §. XVIII. An homo diues sine magistratus interuentu recte transfigat? an gratis alimenta remitti queant? §. XIX. Alimenta præterita non sunt alimenta. Scipio Genilis commendatur. Iudicium de tractatu Iacobi Fabri. §. XX. Testamenti tabulis non inspecis transfigitur firmiter. Laudantur hanc in rem varii auctores. §. XXI. Respondetur Zacharie Hubero in primis vrgenti, Gaium legem retulisse, non vulgare notumque omnibus. An iureconsulti rara & infrequentia semper indicent? §. XXII. An l. 6, ff. de Transact. contineat ius non scriptum? §. XXIII. Quidquid proponit Huberus, probat, potuisse eiusmodi legem ferri, non autem esse latam reapse. Statum controuerse mutar. §. XXIV. An Tribonianus sit legislator, & legem bac in causa tulerit? §. XXV. Fori usus errorem indicat, neque pragmaticos ab ignorantia absoluit. §. XXVI. De nullo criminis transfigitur proprietate. Laudatur Nodius. Quidquid in contraria opinione verum est, eo pertinet, ne in crimen non capitali transfigens sit falsi reus, neve pro conuictlo habeatur. Causa erroris vulgaris. An de falso crimen licuerit transfigere? Verba: EXCEPTO AD-VLTERIO in l. 18. Cod. de Transactionibus emblemata Triboniani indicant. §. XXVII. Carpzonius confutatur eisque sequaces. Vera ratio, quare accusator non potuerit ite-

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

iterum accusare? §. XXVIII. Præiudicium a Carpzouio adlatum excutitur diligentius, & quæ confundit, separantur. §. XXIX. Theopili Gerhardi Titii crisis improbatur, decisionem iuris Romani videri iniquam in non capitali crimine transgenti infamiam impingentis. §. XXX. An ea oblineat bodienunc? Nonnulla de infamia. §. XXXI. Georgii Beyeri censurare tenetur, quasi Romani rectius fecissent, si transactio[n]es prohibuerent in capitalibus, & permisissent vicissim in non capitalibus. Vera ratio legis Romanæ assertur. §. XXXII. Quare Pontifices Romani priuato arbitrio subtraixerint transactio[n]es de matrimonio, seu sponsalibus? Evangelici cur idem teneant? Hallenses ICti a Gribneri & Leyseri telis liberati. Matrimonium nihil continet, quod sit peculariter sanctum ac diuinum. Carpzouius cum affectis conclusiones tuetur ex fonte papistico. Quod clare ostenditur. Cui in praxi Hallenses similiter respondeant, ac ICti ceteri. §. XXXIII. Transactio an sit nouatio extingue[n]s? Lynkerus negat: disputantes affirmant, & varie probant. §. XXXIV. ac Lynkeri dubiis fuse respondent. Expositio legis vlt. Cod. de Nouat. §. XXXV. Itemque l. 14. C. de Transact. Cur liceat a transactio[n]ibus communi consensu recedere, a re iudicata non item? §. XXXVI. Quando recedatur ab huiusmodi compositione? Cur ea non statim vanescat parte una non implente? Vera ratio a falsa distinda. §. XXXVII. Hodie multo facilius defenditur, transactio[n]em esse nouationem perimentem. §. XXXVIII. Transactionum firmitas apud Graecos, Romanos aliosque populos. §. XXXIX. Excuditur error eorum, transactionem nouis instrumentis repertis instabilem pronunciantium. §. XL. Exceptio in causa publica non continet ius singulare, sed vulgare. §. XLI. Nec

: (3)
Prin-

CONSPECtUS DISSERTATIONIS.

Principum transactiones ob noua instrumenta inuenta concidunt. §. XLII. Detegitur error pragmaticorum ob enormem lesionem transactionem in vanum abire statuentium. §. XLIII. Explicatur & vindicatur responsum Scœvolae §. fin. I. 78. ad SC. Trebellianum. §. XLIV. An vulgaris opinio sit sequenda & retinenda in foro? §. XLV. Ostenditur, quam sint falsi Doctores, existimantes, probationem lesionis enormous ac certæ esse facilem. Exemplum ab iis adlatum non quadrat. §. XLVI. Confunduntur varia ab auctoribus themata in causa infringendæ transactionis. Distinguenda causa noua a veteri. §. XLVII. Sensus canonis: Transactiones esse stricti iuris, quem non cepit Cl. Bergerus. Quod exemplo clarum redditur. §. XLVIII. An transactio liberæ Reipublicæ pernicioſa stabilis persistat? Quod negatur, & firmis rationibus contra via sententia munitur.



SIN-



SINGVLARIA
DE
**TRANSACTIONVM STABI-
LITATE ET INSTABILITATE
CAPITA.**

§. I.



Ransigere generale
verbum est, & negotium sonat finire, expedire, confidere Quare circumspiciendum est semper, quam significationem inducant voces adiunctæ, quanque patiantur materia proposita. Nos de speciali sensu solliciti ad lites ac controuersias in primis respicimus, a quibus conuentione discedimus, easque si omittimus. Discedere vero a lite cum sit res fauoris plena, superfluum posset videri, disceptare hac de causa multum, ac conscribere dissertationem integrum de re omnibus nota. At aliter subducunt rationes, qui multa in transactiones incidere posse sciunt, quæ dubium

A.

red.

reddant, standum ne sit decisione & finitione semel facta, an aperienda iterum litibus fenestra, referandaeque fores pristine controuersia, ac petitioni veteri. Recte enim obseruatum est ab Hugone Donello IC. immortali laude dignissimo, pacisci nos plerunque donandi animo, nulla re cogente, curantes scilicet, debeatur, an non debeatur; cum e contrario transfigentes incertum, & litis metum animo versent. Vnde in pactis causa occurrit nulla, hic aliqua; puta, vt transactio sine causa non sit transactio; secus atque est in pactionibus. Cui accedit, quod plures obseruentur de transactionibus prohibitiones, major legum cura, exactior imperantium solicitude; adeo ut operam non simus abutiri prorsus, si, quid sit transactio, dicamus primum, ac, quæ inde fluunt, dein ponderemus exactius.

§. II.

Quare transactio nobis conuentio partium est onerosa, qua de iure dubio suo scientes atque volentes in vnum consentiunt, vt hoc tollatur, ac nouum ius atque certum, secundum animi intentionem cuiusque sufficienter significatam, statuatur.

§. III.

Conuentionis mentionem facimus; quia hæc vox omni pactioni & contractui congruit; sive post stipulationis simplicis habitum induat, sive contractus innovinati speciem accipiat, sive denique aliis contractus finem litis comitetur, perque nouam & compositam stipulationem, qualis est Aquiliana, transformetur. Etsi enim his tricis hodie, dum pactis deliberatis vim similem, atque aliis actibus tribuimus, non videtur opus;

ta-

tamen cum iura Romana diuersam hic viam ineant, fas esse putauimus, adhibere locutionem generalem, ne vel moris præsentis, vel antiqui regulæ nos vlla ratio-ne perturbent. Sic enim necesse non erit litigare diu, vocari ne possit contractus innominatus, an nominatus, verbalis, an aliter? Id certum, non requiri necessario scripturam; sed, si adsit, probationem fieri quodammodo faciliorem. Tamdiu quippe pro hac capitul conie-ctura, donec contrarium ostendatur clarius. Simula-tio namque non præsumitur: quandoquidem hæc no-uum factum præponit: idque probandum utique. Quo-pertinet 1. eti. Cod. de Transactionibus.

§. IV.

Verum magis est, vt ne gratis eueniat hæc conuen-tio. Nam quamvis iuri suo renunciare cuius liceat, non placuit tamen huiusmodi gratuitas pactiones appelle-lare transactiones; constatque aliunde, variare pacto-rum species ex comparatione hominum distincta rebus & actibus nomina imponentium. Qui hac de re dubi-um mouet, perinde mihi agere videtur, atque is, qui de figura locationis ac conductionis, mutui, commoda-ti, aliorumque negotiorum & actuum inanem litem ex-citare satagat. In morum ac juris disciplina ipsi idea-componimus, easque certis nominibus signamus: nec dubium, quin finis agentium vtramque hic paginam im-pleat, & naturam vniuscuisque actus, vim ac notio-nem efficiat: a qua ob usum ac morem hominum, at-que ciuitatis comprobationem haud temere recedas. Et est fatendum, in id fere ad vnum omnes conspirasse gentes, ne transactio esset sine causa futurum respicien-te

A :

te

4 SINGVL. DE TRANSACTIONVM STABILITATE

te, hoc est, ut vel actori aliquid daretur, vel stipulanti promitteretur. Omnia ut accipiat actor, necesse non est: alias enim solutio esset, non transactio; nihil ut accipiat actor retineatue reus, itidem non procedit: alias donatio foret. Quamobrem reciprocum onus poscitur, idque est, quod Michael Psellus Synopf. vers. 1158. subindicat:

Ομολογίας δὲ ἀνευθεν, η δόσεως πραγμάτων
διάλυσις ἐν εἴσθε προβάλλειν πατέ νόμος.

Transactio absque promissione, vel datione secundum leges non solet procedere. Greci διάλυσιν () vocant, quia viri habet discussoriam & finit deciditque lites ac dubia litibus haud dissimilia. Sub dato vero comprehenditur quoque retentum ab auctore, siquidem nihil interest, dare denuo, aut retinere breui manu antea datum. Vnde sine labore omitti RETENTVM jam Wissenbachius vedit ad l. 38. C. de Transact. quin fieri potest, vt neque retineatur, neque detur, neque promittatur nouum, nec tamen gratuitum sit negotium. Exemplum est, si fiduciissionis onus tibi, tuque mihi remittas cautionem pro alio præstitam. Vnde & remittere iuris sensu est dare, vel etiam promittere.*

§. V.

(*) Non est necesse, ut cum Innocentio Cironio IC. ceteroquin humanissimo διάλυσιν dubiorum interpretationem vertamus, quod διάλυσιν interpretari est apud Pollucem. Notio soluendi, infringendi, scopo nostro magis videtur accommoda.

§. V.

Nunc quum *FINIRE* ad aliud sese referat, & in comparationem cadat, inquireadum est, quid finiat transactio. Ac constat, item præponi, vel etiam negotium dubium, ne iterum donatio sit sine causa, aut huiusmodi actus ad fines nudæ pactionis migret. Litis vocula vero late capit: nec præsens semper controversia requiritur: sufficit timeri item. Ut enim, quum in præsenti iam contradicitur, & feruet dissidium, & manus conseruntur, & actionum formido circumstrepit, clariori modo in oculos incurrit; tamen & id litis rationem habet, quum metus contradictionis imminet: estque honesta cogitatio, malle cedere, quam experiri; quid? quod malle exiguo contentum agere, quam ore hiante exspectare magnum & incertum, quod vel intercidere, vel obtentu reddi difficile possit. Ita cum fideicommissarius, cui quid sub conditione reliatum est, pendente conditione spem fideicommissi remittit, aliquo præsentे retento, non tam *pacisci* dicitur, quam *transfigere*. Cui non obest: hoc in themate nihil litigii obseruari. Præterquam enim quod iuris auctores incertum ac dubium simpliciter ad transactionis materiam pertinere contendant, neque dubium extra ius excludant, ac ea propter Zœsiū I. C. magnopere reprehendant; etiam perspicuum est, posse de implemento conditionis oboriri disceptationem; posse etiam ab fiduciario hærede interea fieri plura, quæ, nisi obliuioni dentur, fatale iurgium portendant. Quocirca relinquitur, ut præclare agat cumque eo agatur, qui tempestiue sibi consulit, ne implicetur

A 3

bello

6 SINGVL. DE TRANSACTIONVM STABILITATE

bello parum profuturo, vel saltem molesto. Ex quo factum, ut Imperator Antoninus rescriperit Luctatio l. 2. Cod. de Transact. CUM TE proponas cum sorore tua de hereditate transfigisse, & ideo certam pecuniam ei te debere cauissse, et si nulla fuisset quæstio hereditatis, tamen propter timorem litis transactione interposita, pecunia recte causa intelligitur: ex qua causa si fisco soluisses, repetere non posse: & si non soluisses, tamen iure conuenireris. Delerem vocem fisco reponeremque lubenter illico cum Cornelio Brederodio, quem non nominauit vitulo eius agans Antonius Faber lib. Coniect. XVII. cap. 4. nisi in Basiliis extaret species, quam retulit Gerhardus Nodtius (*) Vir clarissimus, vocabulum fisco ferentem, ita ut ferro non videatur opus. Ceterum sententia rescripti iusta est. Quare enim transigebat, aut promittebat mulieri, si aliquam alebat iuris sui fiduciam? Iam cum promittendo cauit, perperam repetit, aut condicit, quod sine causa & future molestiæ metu non promisit aut dedit. Timor litis eiusque incertus euentus satis causæ habet, quare promittere, vel dare maluerit, quam iudicium fortuita exspectare decreta.

S. VI.

Quæ cum sint comprehensu facilia, sœpe tamen fit, ut variæ circumstantiæ difficile reddant ac perplexum, an subfuerit incertum, itemque an quilibet metus futuræ litis transactioni locum faciat? Fac enim, Seium vtpote iurium imperitum vehementer metuisse funestum actionis carmen sine causa; fac amplius, ineptum causidicum simili miserum ratione perterre feci-

(*) De pact. & transact. cap. III.

fecisse; an hic quoque verecunda erit cogitatio discedendi a lite, quæ nec fuit, nec etiam erat futura? Et putat Lynkerus part. III. decif. 1178. 1182. transactionem non valitaram. In quo ei omnino consentio, si ius apertum, ac nemo, qui legum vera notitia polleat, deliberata mente adfirmaturus fuisset contrarium, vel nulla de facto, de quantitate aliisque quasiunculis incidentibus timeretur controuersia. Sin secus, subsisto. Quin immo vero in priori specie non solum ex capite certi, sed etiam doli oppugnandam transactionem censerem. Valde enim verisimile fit, a dolo alterum absuisse proxime, qui sciens vidensque infirmitatem Seji ad transigendum accessit. Sed fac amplius, vtrumque ne sciuisse ius, vtrumque incidisse in fori illepidissima tintinabula, ita ut hic persuaderet sibi victoriam, ille timeret sententiam sibi parum fauentem. Quid tum? Et tum inquam ab errore subsidium arcesserem. Quanquam enim sat scio, errorem alias non efficere, vt transactionis vis euanscat; tamen hoc loco alia omnia putarem dicenda, vbi de lite primaria quæstio vertitur.

¶. VII.

De quo vt constet luculentius, forte operæ erit pretium, dispicere paullo copiosius, quid in transactionibus operetur error? Ac fateor, admodum videri probabile, nihil in transactione effecturum errorem, quum dubia exigatur caussa. In dubio vero necesse quodammodo est, vt unus versetur in ignorantia, aut errore, quia dubium est. Vnde ad falsum accedere proprius videtur, statuere, transactionis vinculum impediri, aut minui errore posse, qui tantum non in omni

SINGVL. DE TRANSACTIONVM STABILITATE

mni inueniatur transactione, aut præsumatur. Sed falua res est. Nemo enim adfirmat, errorem quemcumque obstare eius generis decisioni, aut liti per transactionem compositæ. Quin probe tenemus, consentire eum, qui transigit, vt iurgium maneat soppitum vanescatque ius petendi, etiam postea apparitus sit error, aut cauſſa caliginis, que rem reddidit dubiam, perueniat ad transigentium notitiam. Verum tamen semper ponitur vel incertum, vel controuersia, vel saltē est ponenda, quod natura & vis transactionis quadantinus in re dubia collocatur. Quare tota quæſtio eredit: an qui putauit subesse litem, vel dubium ac incertum, quum reapse, & in præſenti, quando transigitur, nulla subsit, ob ignorantiam huius rei ab obligatione ſibi imposta liberari queat? Et putem. (*) In hunc enim errorem antecedentem nemo consentit, propter naturam transactionis, nec, consentire potest; eoque relinquitur, vt error de incerto, ac controuerſioſo vitiet totam transactionis compagem: quod vitium non attendetur ceteroquin, si error in ipsum transactionis negotium ex probabilitatione incidat, aut hoc comitetur. Idque in cauſſa est, quare Imperatores Leo & Anthemius l. 42. C. b. r. transactiones ex falfis instrumentis initas retractandas præceperint, quantumuis alter dolose hæc instrumenta non subjecerit. Sat est fal-

(*) Habemus consentientes MEICHSNERUM Tom. I. Deſcif. Cam 18. n. 1. & 6. MEANIVM Obſ. 620. n. ANTONIVM FABRVM in Rational. ad l. 66. ff. de Condiſſ. in deb. CARPOZOVIVM Lib. V. Respons. 66. CHRIST. BE-SOLDVM conſil. 262. LYNCKERVM in Commentar. ad ff. de transact. p. 396.

falsitatem documentorum ansam dedisse, ut festinaret ad componendam item, quæ nunquam erat eoque componi non poterat. Quapropter distinguendum vtique existimem inter errorem ipsum futuræ transactionis naturam & essentiam adtingentem initio, & non adtingentem. Prior instabilem reddit, immo nullam, posterior non item.

§. VIII.

Atque hinc est, quod quibusdam tantum documentis deficientibus transactio consistat, vt est in *L. 19. C. b. t.* Quamlibet enim & hoc loco efficax subesse videatur *error*, cum is, qui postea instrumentum reperit, caussari queat, se fidem instrumentorum præsentium secutum existimasse, expedire sibi, vt transigeret: quod sane non fuisset facturus, si habuisset cetera; facile tamen comprehensu est, ide rationis profuturum nequicquam. Neque enim hac in specie iustus litigii metus defecit; tametsi forte, si ad manus fuissent reliqua, victoriae obtainendæ spes compositionem subsecutam aut retardasset, aut penitus sufflaminasset. Quod indicio est, errorem hunc non abrupte prima & interiora transactionis stamina. Sed quid vero? si noua instrumenta tantum nunc funderent luminis, vt tota controuersia in inane recasura fuisset, si inspiciendi copiam habuissent litigantes, puta, si iam olim solutione extinctum debitum, quod iterum exigebatur, si res iudicata, si iure iurando decisa. Et tamen valere transactionem pronuntiare. Ratio decisionis in eo cubat, quod tum, cum transigeretur, vera, non falsa fuit caussa finiendi præsentem controuersiam. Neque enim instrumenta a fal-

B

ta

la manu sunt profecta, neque nulla fuit futuri litigii formido. Quod lecus est in themate § VI. proposito: nam omnis ibi litis metus aberat; lecus quoque in altero, & proxime praecedente. Quod enim fallum, nullum est. De nullo nemo transigit, nemo paciscitur, nemo iurat; sed qui sic transigit, decipitur, rationes ita ineunte Vlpiano l. 9. §. 2. ff. b. t. Quo iplo simul clarum fit, quamobrem nec iurando firmatam huiusmodi transactionem ratam ac fidicem voluerit Leo cum Anthemio. Ad quæ diuidenda acri sane iudicio opus est, ne separanda commisceantur; quum facile sit ostentu, nec ab acutissimis hominibus omnes hic depultas nebulas, nec singularum differentiarum abditissimos excusos obseruari recessus.

§. IX.

Quibus ita constitutis facilis est interpretatio l. 23. C. b. t. in qua sequens occurrit species. Putabat Tatianus, se esse hæredem Archemidori; atque idcirco cum creditoribus Archemidori transfigens certam illis pecunia summam numerabat. Postea cognitum est, non tam ad Tatianum, quam alios pertinere hæreditatem: hinc datum repetebat Tatianus. Diocletianus & Maximianus vero improbe petitionem decerni rescribebant. Nec enim indebita solutum videri, nec sine causa. Mea sententia recte. Et si enim in errore fuit Tatianus, hæredem lese existimans; non tamen indebita petierunt creditores suum, nec is etiam, quum se putaret hæredem, indebita soluit. Fuit igitur res dubia, fuit lis: nullum hic falsum instrumentum cernitur. Vnde nec Tatianus repetendi fundamentum stricto iure habet. Nequaquam enim indebita soluit; quare condicō cessat: nec sine cau-

causa dedit; igitur etiam conditio sine causa locum inueniri nequit. Itaque ad solam æquitatem se recipere Tatianus poterat. Neque enim fas est, ut cum damnatio Tatiani locupletiores fiant Archimediori creditores, suum consequentes a veris hereditibus. Iure summo exceptio transactionis obstabat; eoque improba videbatur petitio sepius nominati Tatiani, quod iam etiam Huberus in prælectionibus ad digesta animaduertit.

§. X.

Aliud vero ac contrarium videtur dicendum, quan-
do in præsenti lis per judicatum, vel ius iurandum deci-
sa. Eo namque casu penitus deest transactionis obiectum,
seu materia. Quid enim decidendum restat? quis deci-
dit decisum? quis finit finitum? quis disputat, ubi nulla
disputandi materia? Etsi igitur in themate, quod §. VIII.
ad ultimus litigiosa quæstio decisa fuit, ita ut tum cum
decideretur, perspicua fuerint omnia, nihilque amplius
ambiguum; quæstio tamen est, an nunc etiam illud iudi-
catum litigantibus notum fuerit? Adeo interest, per-
pendere exacte, quid vocetur lis, quid appelletur litigiosum,
quid dubium? Quapropter res omnis, quod iterum moneo, eo credit, an error initio adtingat, & sub-
ruat transactionis ineundæ præcipuam ac primam for-
mam? Nec enim per mentis præcisionem fingenda finitio
litis, nec videndum, vtrum olim, & ante plures annos
litis materia sublata, sed an in præsenti controversia me-
tus vanus sit? Sin minus, tenebit transactio, quia reue-
ra lis cœpit, aut saltem initium capere illico atque iure
potuit, latentibus iudicatis, ut quæ nec actori, nec reo

B 2

fu-

fuere cognita. Non esse autem & non apparere in moralibus eiusdem coimmatis videntur.

§. XI.

Sed an vero etiam post rem iudicatam pactio locum habeat, alia quæstio est. Et caue putas, perinde esse, pacis caris, an transfigas? Quanquam enim vera loquitur, qui sic de effectu, &, quod reapse euenit, rationes init; non est tamen, quod in transcursu, & negligenter hac de causa iudicetur. Sufficit transactionem & pactum manere diuersa. Nam sicuti prohibitum non censetur, donare socio, qui lucrum omne abstulit, ita ut eo pacto donans solus damnum ferat; falsum tamen est, id naturæ societatis conuenire. Qui vendidit certo ac fixo pretio, non prohibetur donare; sed emptio venditio in auras abit. Simili ratione tota transactionis idea tollitur, quando quis iuri suo, quod ex iudicato firmitudinem accepit, gratis repudium mittit; idque tot legibus in codice Gregoriano, Theodosiano, & Iustinianeo cautum est. Quanquam enim ex ipsa transactionis natura id videtur sequi; rescriptis tamen plenius hoc fuisse præceptum Vlpianus docuit l. 23. §. 1. ff. de Condict. indebiti. Atque hinc etiam est, quod causam eius rei vetustus consultationis cuiusdam auctor detegere hac ratione satagat: De rebus enim iudicatis soli Principi & contra iudices licuit iudicare, aut si ita conuenerat, ut iudicii vinculum solueretur. Ergo pactio ipsa iudicij ordinem & constitutionem inserviat, qua discingit; quod tamen non pacifendo, sed donando fieri potuisset. Quod argumentum quum nostris fere cogitatis congruat, nimirum, decisum nec rescindi, nec denuo quod est finitum a priuatis decidi; sed si quid ipsi mu-

mutent, donari; elucet sane, meliorem vtique hanc fo-
re rationem, ac illa, quam dat Iacobus Gothofredus ad
h. 2. C. Theod. b. t. stupenda ceteroquin eruditio nis ICtus.
Existimat enim is paetum, seu transfectionem, quam hoc
loco paetum sicuti laudatus veteris consultationis auctor,
appellat, sic videri extortam. Cuiusmodi obserua-
tio vti est precaria ac nullius momenti; ita inde conse-
queretur certe, multo minus valitum itidem gratuitum
paetum, si presumtio extorsionis suum hic tueri locum
posset. Quæ ratiocinatio doctissimo SCHVLTINGIO
ad sentent. recept. Pauli *L. I. rit. i. p. 5.* accepta ferenda est,
probegnaro, paetum cum onere reciproco coniunctum
non tam videri metu doloque expressum, quam potius
alterum ex mera liberalitate profectum. Vnde parum
præsidii in illa inueniri ratione palam est. Ceterum vix
opus monitu, nos hic de re plene iudicata verba facere,
adeoque ponere, facta esse omnia, nec remedio appella-
tionis, nec alii huic simili, nec fori tricis locum esse am-
plius.

§. XII.

Verum tamen supra indicauimus, transfectionem
tum demum futuram stabilem, si de re ac iure nostro
fiat; hinc quæstu non existimamus indignum, quid sit
in nostra potestate constitutum? Non est propositum
nobis, de omnibus differere infirmitatis speciebus: po-
tius supersedemus de dolo ac metu, de tutoribus, pro-
curatoribus, minoribus ætate, de infantibus, mulieri-
bus, furiosis, mente captis adferre vel tantillum. Quæ
enim vulgaria sunt copiosiori disquisitione non indigent
&, quæ salebrofa, ac difficilia, alio tempore a Præside

B 3

sunt,

sunt excusa. Idcirco de iis cum primis, quæ lex dicitur a transactionis finibus remouisse, dispiciemus: addituri posthaec nonnulla, quæ conueniant materiae, nec a scopo ab ludant.

§. XIII.

Ac quatuor cum maxime deprehendimus, quæ priuatum componendi ac transfigendi arbitrium excludant. I. De alimentis futuris. II. De rebus in testamento relictis non inspectis tabulis. III. De crimini bus. IV. De matrimonio ac spiritualibus. Nemo non intelligit, hæc omnia lege ciuili, & Canonum iure ita dici constituta. Quare videndum ante omnia, an hac ratione leges ciuiles ac Pontificum decreta statuerint, & quamobrem? De alimentis primum.

§. XIV.

Et puto vero transfigere antiquitus pro lubitu licuisse de alimentis in testamento relictis, etiam futuris. Non ius, non vlla ratio iuris necessaria obstat, quo minus ita concludamus. Quin ipsa oratio Diui Marci innuit, dispositionem hanc facti esse; eoque nouam ac peculiari rationi innixam: videlicet, ne bi, quibus alimenta relicta erant facile transfigerent contentii modico praesenti. Verba Vlpiani sunt *I. 8. ff. de Transactionibus*. Non est dubium fuisse tunc, qui eiusmodi alimentariorum commodis praesumendis inhiarent. Iulius Capitolinus in vita Marci Antonini cap. XI. auctor est, Imperatorem hunc de *alimentis publicis* cauisse. Addit haud temere Isaacus Casaubonus, de *alimentis publicis* **PRIVATIS QVE**. Quod quum iam sit a Scipione Gentili

tili tractatu de alimentis cap. I. animaduersum, antequam Casaubonus amplissimos ad Scriptores historiæ Augustæ commentarios ederet, meliori iure hanc coniecturam Scipioni ICto tribuemus, quam Philologo Isaac. Nos, quod Gentilis non vidit, adiiciemus. Puto enim orationis, quæ tribuitur Diuo Marco, Ceruidum Scæuola I. C. esse auctorem. Certe idem Capitolinus in vita Marci: *Habuit secum præfatos, inquit, quorum & periculo & auctoritate semper iura dictauit. Vsus autem est Scæuola præcipue iuriis perito.* Vnde vix est, vt de alimentis rectius nos instruat IC. alias, quam Scæuola, vt qui illam orationem aut ipse scripsit, aut consultus a Marco dictauit. Est enim alimenti vox πολύ-
ηγμος, ac generaliter cibaria diaria, aliaque quam plurima complectitur. Anguste victum significat, & sola cibaria quæque his infunt. Prioris generis Scæuola ALIMENTA COMMODA appellat I. 16. §. 1. ff. de ali-
mentis & cibar. legat. Ac mirandum est, ipsum Brissoneum (*) & Pancirollum (**) Viros præstantissimos COMMODA ita existimasse dici, quod ad exemplum Imperatoris COMMODI erogarentur; qui cum a Traiano instituta ac a successoribus eius obseruata, aliquamdiu & ipse alimenta præstissem, ea a suo nomine COMMODA dici voluerit. Quo nihil frigidius, verba Iani Rutgersii Viri doctissimi in Læctionibus Venusinis cap. VII. sequor, aut a IC. mente alienius aut dici, aut fingi pos-
terat, nisi ineptior sit Accursius, qui τὸ COMMODA puta-
uit testatrixis nomen esse. Multo igitur certius est, quod idem

(*) de V. S voce *Commoda*.

(**) II. Variar. Læct. cap. XCVI.

idem Rutgerius obseruat, ALIMENTA COMMODA vocari Scæuolæ, quæ omnibus numeris absoluta sunt, hoc est, quæ victum & vestitum, atque etiam habitacionem continent. Ex quo coniicitur, orationem Marci alimenti vocem angustiori ambitu circumscripsisse, quia Ceruidius Scæuola ALIMENTA COMMODA cum incremento vocat, quæ erant præter victum. Idque patet ex Vlpiani doctrina l. 8. §. 12. ff. de Transact. Q. II transigit de ALIMENTIS, non videtur neque de habitatione, neque de vestiario transigisse: cum Diuus M. specialiter etiam de istis transigi voluerit. Nec obest, Iauolenum alimentorum vocabulo cetera omnia complecti, quando l. 6. ff. de alimento velcibariis leg. LEGATIS, ait, ALIMENTIS cibaria & vestitus & habitatio debet esse, quia sine his ali corpus non potest. Sine dubio enim Iauolenus ALIMENTA COMMODA intelligit: ad quæ extendi non minus prohibitionem suam cupiebat Imperator: quamlibet priuatorio de victu, hoc est, cibo ac potu alimenti voculam adhibuerit.

§. XV.

Alii aliter respondent, existimantes cum Sichardo ad l. 8. C. de Transact. & Bartolo, Iureconsultos vocem alimenta interpretari parce & quodammodo maligne, si sint remittenda, liberaliter vero, si sint tribuenda. Cuiusmodi interpretatio non videtur necessaria. Puto enim Antoninum & Scæuolam, qui totius orationis est Architectus, ea, que Iauolenus recenset, sub alimentis conamodis comprehendisse: quod verbum cum non exprimitur in remissione, anguste capitur vox alimenti. Atque hoc innuunt extrema legis, quæ est

est Iauoleni : *quia sine his ali corpus non posset.* Quis enim dixerit sine habitatione & vestiarie corpus ali prorsus non posse? Id verum, non posse ali **COMMODUM.** Igitur credam, Iauolenum ponere legati speciem, in qua alimenta comoda sint legata. Romani vero commodum vocant, cui nihil deest, sed perfectum, omnibusque numeris absolutum est. Laudatus Rutgerius varia exempla hac de re in medium tulit. *Talenum commodum a Plauto, millia cominoda a Lucilio dici Nonius obseruauit.* Horatius lib. III. Oda XIX. *cyathos commodos appellat cyathos plenos.* Cyathus mensurae genus est, non poculum, ut bene ad h. I. **BENTLEIVS.** Nec resistit, qui adseuerat, strictam huiusmodi interpretationem locum duntaxat habere, quando de remissione ac renunciatione iuris sui sermo est. Facile enim regero, Paulum ICTUM diserte scribere I. fin. ff. de *alimentis & cibariis legatis victus & alimenti significationem per omnia exæquatam esse.* Ex quo elucere existimat acutissimus Goeddeus, quare in l. 21. ff. de *alimentis & cibariis legatis responsum sit ab Vlpiano, neque habitationem, neque vestarium, neque calcearium deberi.* Dia-ria vero & cibaria, accibaria & alimenta idem sonare aliqunde innotescit. Et habebant Romani peculiaria hanc in rem vocabula cultum corporis exprimentia & habitationem. Vnde, nisi adiecta particula significatum laxaret, Pauli opinio merito vincebat, simulatque Vlpiani, qui bis ita, vti vidimus, respondit.

§. XVI.

Quibus obseruatis faciliori forte negotio nunc intelligitur Spartanus in Hadriano cap. VII. *Pueris, in*

C

quit,

quit, ac pueris, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, INCREMENTVM LIBERALITATIS adiecit. Neque enim dubium mihi hæret, quin alimenta pleniora INCREMENTO LIBERALITATIS exprimat. Casaubonus largitionem interpretatur: Edmundus Merillius Observat. lib. III. cap. 29. de tempore ad plenam pubertatem prorogato intelligit: rectius facturus vtique, si postremæ coniecturæ, nempe præter alimenta etiam vestiarium & habitationem Hadrianum adiecisse, locum reliquisset. Perinde enim est, ac si Spartanus adfirmasset, Imperatorem pueris puerisque tribuisse alimenta commoda, cum antea Traianus decreuisset alimenta sine incremento, videlicet, quæ ad victum pertinebant duntaxat.

§. XVII.

Quod vtçunque sit, sufficit, noluisse Antoninum, vt de alimentis futuris ac testamento relictis, siue plenis ac commodis, siue minus plenis sine Prætoris auctoritate transigeretur. Vnde cauſa haud dubie cognoscenda, modus considerandus, personarum conditio circumspicienda; recteque Brunnemannus P.II. decis. 75. arguit, meram Magistratus confirmationem minime sufficere, quam non præcesserit cauſæ cognitione. Publicæ quippe rei interest, ne præter cogitationem inedia laborent, quos cum fame conflictari noluit testator, indigne rerum omnium Reipublicæ oneri sint, quibus ab aliis largiter, aut quod est satis, fuit prouisum.

§. XVIII.

Vnde queri dignum, an eadem cognitione & auctoritate opus sit, si quis alias sit satis locuples & in lauta par-

parte constitutus, aut etiam gratis debitam sibi alimoniam remittere velit? Prius Vinnius negat cap. VI. de Transact. n. 9. 10. posterius idem affirmat. Et posset aliquis existimare, inuertendam decisionem fore. Nam cui aliunde bona copia est, is sane alimentis non eger. Habet, vnde vitam commode transfigat: non hic Rei-publicae incommodum imminet, non etiam alimentario. Voluntas testatoris autem perparum ad rem videtur facere. Nec enim testamentorum firmitati prospicere Antoninus volebat, sed egentibus, non mortuis consulere, sed viuis, non testatoribus, sed publico bono. At in tuto versamur. Nec enim prohibitum est homini locupleti transfigere de alimentis; dummodo id fieri prævia Prætoris perspicientia. Hujus quippe interuenire cura debet; hic & aqua omnia ponderare lance & peruidere, utrum, qui transfigit, frugis sit, & sibi sufficiens, an forte de alimentis pendeat? Quod signate Vlpianus l. 8. f. de Transact. §. 7. & 11. exprimit. In posteriori quæstione dubium paullo maius inuenitur. Nam qui noluit transfigere alimentarios, is multo minus donationis facultatem iisdem videtur induluisse. Quæ enim Antoninus timuit extrema, atque a publico auertere fategit onera, ea ratione non auerti merito existimantur: quid? quod quem ille pessulum obdere transfigentium stultitiae ac facilitati voluisset, non sane obdidisset, si donare ac dilapidare nutricationi destinatam summam liceret. Verum enim vero quemadmodum mulieres facilius fideiubent, quam soluunt, eoque postremum efficaciter peragunt; ita alimentarii firmiter donant, non autem transfigunt stabiliter; quia modico contenti saepe sèpius sunt. Ut autem nihil accipient plane, &

C 2

rem

rem suam abiiciant, & vſibus suis destinatum alimonium negligent, raro forsitan magnisque ætatum interuallis vix ſemel atque iterum euenit. Et rara vero & singularia Marcus curauit ſcilicet.

§. XIX.

Cæterum moneri vix debet, alimenta præterita ferre nomen alimentorum non mereri. Alimur in futurum; viuimus in futurum: in præteritum neque viuimus, neque alimur. Secus foret, si quis anticipasset viatum, veftes, habitationem aliaque; ac dein de stipendiis ſibi debitibus depacifceretur. Quod vti in fraudem eius, qui aluit atque educavit, vtique tenderet; ita dubium non eſt, quin ſit iniquum, huiusmodi pactionem eſſe ratam, vel eius generis alimonium iuriſuſ ſenſu cenſeri præteritum ac priuato transigentium arbitrio ſubiectum. Sed caue existimes porro, quoduis annum stipendium ac pŕaftationem continuandam in futurum ſtatim ad alimentorum genus pertinere, aut Antoniuſum omnem de alimentis, etiam inter viuos acquifitis, pactionem & compositionem prohibuiffe. Sunthac notiora, quam ut copiosiori diſceptatione opus fit; maxime cum scrip-
TO GENTILIS Vir ſummuſ otia hic nobis fecerit. Ut autem in tractatu IACOBI FABRI de alimentis tempus terat quifquam, neceſſe non eſt. Locum huic homini inter compilatores ineptos damus, vt qui non erubuit confarcinare aliena, humanoque capiti equinam iunge- re ceruicem. Penitet me momenti, quod in lectionem huius chartæ impendi.

§. XX.

§. XX.

Quare ad transactiones, tabulis testamenti non inscriptis, properamus. Ac defendit inaugurali dissertacione Præses opinionem Cuiacii, Aemylii Ferreti, Balduini aliorumque præstantium virorum, existimantium, Romanos non censuisse vñquam eiusmodi transactionem infirmam: quin nec argumentum suppetere verisimile, vnde eius generis prohibitio argui queat. In qua opinione eterque persistimus, in primis cum ab eo tempore Antonius Schultingius singulari libello eandem sententiam nouo argumentorum robore fulserit, atque illustris Vir de Cocceis, magni Patris filius dignissimus simili illam ratione in Lauterbachio controversioso adoptauerit. Vnde nihil penitus crederemus adiiciendum, nisi Zacharias Huberus in *casibus enucleatis* quæst. XVI. nouos hic excitasset fluctus.

§. XXI.

Putat enim is, improbabile videri omnino, Gaium aliud nihil docuisse, quam stultos esse omnes, & vervecum natos in patria, qui ad transigendum festinarent, testamenti verbis non cognitis: repugnare hoc grauitati & prouidentia Iureconsulti non ultimi subfelli. Aliquid igitur amplius esse in l. 6. ff. de Transactionibus, quanquam hæc connectatur cum l. i. pr. & §. i. testamenta quemadmodum aperiantur, quæ ex eodem libro XVII. ad edictum prouinciale est decerpta. Vanum quippe futurum, interpretari eo modo, ac præcipere varia, quæ lippus videat, actos for cognoscat. Verum enim vero præterquam, quod Iureconsultus edictum Proconsulis explicet, omnibus testamentorum documenta desiderantibus

C 3

sub-

subsidio se venturum pollicentis; etiam notum est, iuris autores sepe sepius, quae eueniunt, & vel frequentia, vel infrequentia sunt, indicare. Ita raro soluere feminas isti monent, frequenter filios familias ære alieno pressos parentibus struere insidias, & patrios inquirere in annos pronuntiant. Qui Huberi facundiam sectaretur, eodem fane modo exclamandi ac perorandi inuenturus esset copiam. Estne hoc tam infigne *μυσήγειον*, non vt experimento intelligent vniuersi, feminas ægre pensitare, ac nomina dissoluere? Quis ignorat auaros feminarum mores? Quis lubricaæ ætatis tam est nescius, humanaeque naturæ tam incuriosus scrutator, vt, quid filii faciant, cogitentue, cum vrget actor, cum in ius vocat creditor, non cognoscat? Ac nec forte ignorauit Gaius, esse id, quod indicauit, clarum. Quippe tabulae testamenti sunt edendæ petentibus inspicere ac describere. Hæc vox fuit Proconsulis, hæc seria edicentis voluntas; eoque desiderantibus opem promittit. Ecur vero? perperamne ac sine causa? pro arbitrio? consilio nullo, an calido? Et non existimem, nec Gaius putavit. Litigant sepe homines de controversiis ex testamento profici-scentibus, nec abhorrent aliquando a transfigendo: litigant apud iudices cognoscentes de facto, transigunt apud eosdem haud raro. Quomodo vero definiat factum, quod non paret? Quomodo transfigant homines sano-ris syncipitis, antequam recognoscunt scripta in testamento? Igitur Gaius ait, necessarium esse utique, vt cum aduersario communicetur ultimæ voluntatis argumen-tum, ac nolens adigatur ad exhibendas tabulas? Ali-ter transigentem ab ineptia abfuturum proxime. Ne
di-

dicat ZACHARIAS, nemini hoc esse obscurum. Statim enim regero, neminem tam fore bardum, qui dubitet in præteritum non viui, quive non capiat, de fæsto sibi ignoto iudicem non pronuntiare. Est hæc demonstrandi ratio non solum recepta Iureconsultis, sed etiam optima, vt sic cogantur euidenti ratione conuicti ad sensum præbere omnes, nisi repugnantia ament, aut perturbata secentur. Vnde proflus vacillat, quod a vulgaris ducitur filum; maxime cum ipse Gaius affirmet, RATIONEM edicti MANIFESTAM esse. Verum valde se daret turpiter, qui tam insulse interea componet firmiter non obstringi concluderet. Neque enim hoc adseuerat Gaius, neque, si voluisset, potuisset.

§. XXII.

Est namque peruagatum, Iureconsultum editum prouinciale exponentem non facere ius nouum, nec ferre leges, sed interpretari. Vbi vero vllum eius rei cernitur vestigium? De scripto iure ipse desperat Huberus: quare ad non scriptum confugit, & consuetudinem crepat, & prudentum interpretamenta iactat; immemor fere, consuetudinem esse facti. Iam vero cum factum nunquam præsumatur, sed euidentibus signis in clariori luce constituendum sit, consequitur sane, vt, nisi aliorum IC. testimonii confirmet, quæ construit, vniuersa corruant repente. Parum enim mouet, quod is generatim de opinionibus ac responsis prudentum in medium fert. Semper quæretur, an hæc interpretatio de necessaria inspectione tabularum in transactionis negotio ysu fori vnquam inuenierit locum, &, contra nitentibus partibus, solida sit decisione comprobata? Sane qui de

de consuetudine tanta fiducia verba facit, is plures sibi actus & decisiones innotuisse statuit: de quibus interea altum apud Huberum silentium est.

§. XXIII.

Quæ res fecisse vtdetur, vt ad coniecturas se recipere, quare huiusmodi ius scriptum, vel non scriptum inualuerit? *Publice*, inquit §. XI. expedit, *suprema hominum iudicia exitum habere*, l. 5. ff. quemadmodum test. ap. est que indignum ac turpe, circumueniri voluntatem testantium, quod ne fiat vlo modo, seu bonis, sue malis artibus, maxima iuris civilis cautio est: vt taceam, quæ de bono publico in sequentibus adsuit. Ego vero ita animum induco, vniuersa hac nondum euincere, tale ius in Republica Romana obtinuisse. Ad summum infertur, potuisse talēm legem ferri, qualem dealmentis tulit Antoninus. An reaple fuerit lata, ac secundum illam ius dictum, controuersum manet: immo vero argumenta adsunt, neutrum eius generis legem fuisse cognitam; cum nusquam occurrat tam insolentis sanctionis impressa orbita: addat licet ZACHARIAS, non deesse homines simpliciores, rusticos, milites, mulieres, quibus permisum est, iuria ciuilia ignorare: quos interea calliditate aduersarii capi & circumueniri repugnat. Et tum enim ita huic argumento crederem respondendum: Palam esse nunc, questionis statum conuelli penitus, & a dolo subsidium peti, non autem a lege decantata 6. ff. de Transactionibus. Quod si vero dolum iste detrahatur, & errorem substituat, claret, ad doctrinam de errore in transactionem incidente reuertendum esse, qui tamen nihil hoc operabitur loco, vbi aut lis, aut litis metus haud prorsus fuit

ina-

inanis. Ne tamen nihil sit, quod permittendum Hubero videatur, iterato addimus, potuisse ea de re legem ferri. Sed caueant Iurisprudentes, caueat quoque Huberus, ne, quod non iniquum, pro lege venditent, & reuera obtinuisse fingant, quod legis esse materia potuisse. Pertinet hoc caput ad cerebrosam iurisprudentiam, & notiones in mente Iureconsultorum existentes. Nos de cetero legem reuera datam exspectamus, neque, quid fieri potuerit, sed factum sit, inquirimus. Quanquam enim methodus hæc Accursio, Baldo & aliis glossarum conditoribus admodum familiaris est; constat tamen experimento, eam non fucata sectantibus interpretibus insolentem semper existimatam, nec calculo sapientiorum vñquam fuisse approbatam.

§. XXIV.

Igitur ad Tribonianum ab eo, vti a ceteris, itum, qui fragmentum Gaii in *legem 6. compegit*, immo truncatum legentibus exhibuit sensum. Sed quis vero dixerit, Tribonianum fuisse legislatorem, aut, quidquid in digestis inuenitur, inque ea deprehenditur infartum, pro sancto, fixo, & legibus rogato ac comprobato fore venditandum habendumque? Qui constitutionem Iustiniani ostendat, vir erit, & vincet. Quod quamdiu non fit, tamdiu erit credendum, non ablusuros a scopo, qui cum Ferreto, Cuiacio, Balduino, Noodtio, Schultingio aliisque viris præclarissimis sint tuituri contrarium.

§. XXV.

Istud autem, quod de fori hodierno usu, deque decisionibus Iureconsultorum, rationibus saepe ineptis innixis, obiicitur fulgur, meliora tenentes non terret.

D

Ne-

Neque enim & illi Legiflatorum munere funguntur; cumque errant, & de *duvar̄*, seu possibili loquuntur, ius fane verum non condunt; &, si condant, ab aliis forte non immerito negliguntur. Quod carmen, et si non intelligent omnes, qui vt grus gruem, ac coruus coruum, ita antecedentem gregem sequuntur; non est tamen desperandum, fore aliquando alios, quibus de meliori luto præcordia sunt, qui eis sint oblocuturi in faciem: quod & nos eodem iure, immo firmiori facimus, qui ius Romanum in subsidium receptum facile contraeuntibus largimur; nunquam vero & nusquam audiimus, definitiones Doctorum singularium, quas peritutæ isti chartæ illinunt, &, dum vage ratiocinantur, suis phantasmatibus tanquam phaleras, & fictæ sapientiæ appendices adsuunt, in subsidium pro Romano iure fuisse admissas & confirmatas. Id non iuerim inficias, opinionum elogio eas videri dignas; & mundum vero regi sæpe opinionibus permittam; legem, ius, decretum, senatusconsultum, edictum, rescriptum, consuetudinem non dicam, praxin non nominabo: quamuis ilia rumpantur tinnientibus Bartolistis atque opinatoribus, decisionum suarum tabulas sine auctoritate, inter varia barbarorum vocabulorum murmura, iactantibus, & gloriose expandentibus. Quod quasi pragmatici omnes sibi existiment dictum: quos tantum abest, vt timamus, vt potius eos omnes Anticyras nauigare iubemus. Ne dicas, turgide nos loqui, & contemptim. Merito enim exsibilantur, & cum contemptu repelluntur, qui se in legislatores erigunt, cum interpretes agant, & sic fines imperii & iurisprudentiæ judicialis confundunt;

dunt; quando veluti imperiti mensores falsum modum dicunt, &, quod sibi videtur iustum æquumque, in legis speciem temere transformant: ipsi interea subiecti, qui suffragandi & sentiendi libertatem nemini præcide-re, nisi per summam tyrannidem, possunt. Sed nos ad alia tendimus.

§. XXVI.

Quæstio est, an de criminibus liceat transigere? Et multum effluxit temporis, ex quo varia commenti sunt Doctores. Non vacat percensere omnia. Hoc adse-uero, nunquam licere, ac nunquam licuisse de criminibus, publica sint, an priuata, pacisci, multo minus tran-sigere cum effectu, quoties publicæ disciplinæ vigor poena est vindicandus, siue ex ordine, siue extra ordinem. Quidquid distinguunt, & de criminibus publi-cis, capitalibus & non capitalibus garriunt, nihil est. Pe-cuniā, aut pecuniae simile dans, promittens, acceptans, remittens, comparate præuaricatator est, corruptor, con-cussor; ac tota pactionis compages non solum nulla est, sed turpis, & publica animaduer-sione digna. Et nun-quam enim seruatur tale paetum, nec seruandum præ-cipitur, quia nulli licet pacisci, vel transigere de re publica. Quæ inuita ratio amplissimo Viro Gerar-do Nodtio accepta ferenda est, lucem hic adfundenti ceteris in caligine oberrantibus. Quod verum in ad-versariorum sententia, hoc est: posse aliquem in crimen sanguinis poenam inferente pacisci, vt interea neque pro confessio, neque pro falsario, seu corruptore habeatur. Pacisci vero hic non sonat transigere. Quod sicuti faci-le comprehensu, quum transigere sit item finire; atque

D 2

inter-

interea exploratum, priuatorum iudicio atque arbitrio
crimina non subiici, nec etiam tolli; ita mirum est, a
præstantissimis viris TRANSIGENDI vocabulum pro-
prio in significatu fuisse sumptum. Potius indubitasum
est, publicæ id genus transactionis aduerfari rei actotius
ciuitatis disciplinæ. Quin nec pacisci in aliis crimini-
nibus a poena sanguinis immunibus licet: non reo,
quia fateri non solum censetur crimen; sed & in cri-
men falsi incidit, dum corrumpt delatorem, vel accusa-
torem: non etiam huic, quia res mali exempli est, &
concussionis & calumniæ speciem gerit, minari atque
incipere accusationem, seu delationem, & ab illa iterum
ob lucri cupiditatem desistere. Quod autem lenius
agatur cum eo, qui in criminis capitali paciscitur, pecu-
liarem habet rationem. Neque enim falsi crimine ob-
stringere se videtur, qui vitam qualicunque ratione
redimit; neque etiam confiteri delictum, quia cauſa,
ob quam pactionem init, alia in sensus oculosque in-
currit; satis indicans, non tam fateri voluisse crimen ita
pacientem, quam vita incolumenti prospicere. Sed
accusator vero, qui ab accusatione abstinet, impune id
non feret. Inepta enim ratio foret, parcere accusatori,
quia crimen sanguinis est, a quo reuelando ac deferendo
abstinet. Et tamen plerique existimarunt Doctores,
nec accusatorem in falsi crimen incidere. Causa erro-
ris obscura Vlpiani l.l. §.3. ff. de Calumniatoribus fuit; sed
in qua non tam de transactione ob crimen, quam de trans-
actione vulgari ac licita in rebus priuatis sermo est: de quo
copiosius postea. Constat vero aliunde, accusationem
semel coepitam esse continuandam, donec abolitio inter-
ueniat.

veniat. Iura enim corruptis non fauent; maxime cum sit clari iuris, eum in crimen debuisse subscribere, atque insuper cauere, obiectum se reo crimen & in iudicio perduraturum usque ad sententiam. Quo igitur colore depaciscetur accusator? At reus, qui toto animo ac corpore, quando capitali criminis accusatur, trepidat, misericordia sane dignus est, non autem accusator, qui vel accusare non debuit, si tangatur pœnitentia, vel fervorem accusandi præ se ferens non pacisci, aut pecuniam accipere, ne prosequeretur accusationem. Quod si nondum coepit accusare, a concusione, aut legis Corneliae ultione vix liberabitur. Quare magis est, ut nunquam accusatorem sine labore procedere ad eiusmodi pactionem statuamus. Summatim nunc dicam: a criminis se se liberare transactione nemo potest; pacificando vero efficitur in causa sanguinis, ne pro victo habeatur, qui pactus est; neue etiam ob corruptionem poena subiiciatur, quem dat, aut promittit, cui alias subiiciuntur, qui delatores & accusatores pecunia corrumpunt. (*) Accusator vero semper sordidus est, semper peruersissimus ac poena dignus graui, quum accusationem sine abolitionis praesidio omittit. Iam quid haec omnia ad transactiones nostras, in quibus a lite resiliimus? Itaque recte Nodtius existimat in peculiari libello, quem DIOCLETIANVM ET MAXIMIANVM praescripsit, non pertinere rescriptum l. 18. C. de Transactionibus

D 3

bus

(*) Probatum hoc dedit e Taciti annalium lib. XIV. cap. 41. & legibus Quiritium laudatissimus Nodtius Dioc. & Maxim. cap. XXII.

30 SINGVL. DE TRANSACTIONVM STABILITATE

bus ad edictum Prætoris de pactis conuentis, sed ad criminales quæstiones, ac librum IX. Codicis, ubi de crimini-
bus eorumque pœnis, aut X. ubi de fisci iure agitur. Quod
inde potissimum elucet, quod & Vlpiani sententiæ ad
hanc cauſam pertinentes sub rubrica de transactioni-
bus non inueniuntur. In omnibus, inquit l. ult. ff. de præ-
varicatione, CAVSSIS præterquam in sanguine, qui delatorem
corrupti ex Senatus consulo pro victo habetur. Et l. 29. ff. de
Iure fisci: EIVS qui delatorem corrupti, ea conditio est, ut
pro victo habeatur: nam in fiscalibus cauſis id constitutum
est. Repete, in cauſis sanguinis pœnam non con-
tinentibus. Quod extrellum dilucidius infertur ex
l. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sententiam. IN CAPITA-
LIBVS criminibus à principibus decretum est, non noce-
re ei, qui aduersarium corrupti: sed in his denum, quæ pœ-
nam mortis continent. NAM ignoscendum censuerunt ei, qui
sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit. Ig-
nitus rectius facturus est, qui simili ratione Diocletiani
& Maximiani Rescriptum, quod l. 18. C. de Transactioni-
bus reperitur, ad dictas criminales quæstiones transfe-
ret, quod ignauie Tribonianus alienum in locum
intulit: Transfigere vel pacifici de crimine capitali, EXCEP-
TO ADVLTERIO, prohibitum non est: in aliis autem pub-
licis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, trans-
figere non licet citra falsi accusationem. Verba EXCEPTO
ADVULTERIO inceptum emblemata Tribonianii, aut alterius
hominis esse indocti, Cuiacius, Antonius Faber,
Noodtius existimarent, idque haud temere. Est enim
cognitum, Diocletiani & Maximiani æstate, adulterii re-
um sanguinis pœna non fuisse adfectum; igitur perpe-
ram

ram excipitur a criminibus capitalibus, quod non est capitale. Constantini magni & Iustiniani ævo vero capite quidem plectebatur adulter; atque adeo excipi potuisset; sed quando inquiritur in cauſam, cur sit exceptum, cur falsi crimen incurrat pacifcens, cur pro vieto sit habendus æris summam porrigens, tum fane magis mutos deprehendimus interpretes, quam pisces, aut vana iactantes, & puerilibus consentanea crepundiis proiicientes. Quanquam enim lenocinii maculam, qua se conspurcat pacifcens, obiiciunt; tamen inane effugium est. *Quis enim falsi (*) crimen tribuet propterea* vitæ incolumentem redimenti? quis habebit pro confesso, si ignoscendum iudicarunt Principes qualicunque ratione saluti sue prospicienti? Igitur glossema certum, simulatque inane est. Nam Diocletiani ævo non licuit pacisci de adulterio, quia ob istud capitum poenam nemo incurrit; quemadmodum nec Alexandri ætate, cuius est I. 10. C. ad L. Iuliam de adulteriis. Lenocinii species vero in mente & cerebro eorum nata est, qui rationem infartæ exceptionis reddere fategerunt, non agnos-

(*) Sunt quidem in ea plerique Doctores opinione, de falsi crimine posse transfigi; idque subinnuere verba: *citra falsi accusationem*. Nec est negandum, Basilicorum architectos huic patrocinari interpretationi. Sed hi non cepere significarum voculae *citra*: quod recte & clare ostendit Wiffenbachius. Accedit, quod quædam inueniantur themata, in quibus obseruatur transactio de instrumentis, in quæ cædebat falsi suspicio; sed id non est transigere de crimine falsi, vid. Nodt. l. c. cap. XXII.

agnoscentes emblema , nec ponderantes exacte , ementiam lenocinii caussam neutiquam omnibus depellendis dubiis sufficere.

§. XXVII.

Quod et si satisfacere peritioribus possit , qui veritatis indagandæ studio ducuntur ; sunt tamen nonnulli , qui obnixe omnia faciunt , vt vetusti errores consistant . Igitur non sine saeuo doloris indicio ingeminant : futurum aliquando , vt tota legum machina , quam hodierni iuris architecti diuinis interpretationibus suis construxerunt ac coagmentarunt , concidat : eo modo ius reddi indies magis incertum ; nec interea omnia ambigua esse sublata : constare quippe , lege impediri accusatorem , ne accusationis sua per pactionem remissæ molem denuo construat ; idque indicio esse , licuisse transigere de criminibus saltem capitalibus ; nec negligendum fori saluberrimum usum , vbi de eo , quod interest , nemo transigere prohibetur ; placuisseque haud temere Carpzovio , vt & in poena infligenda , vel inquisitione instituenda iudices ad transactionem animum conuertant . Quibus querimoniis ita censeo occurrentum : merito sapientiores illam legum machinam atque interpretationes , quas diuiniores pars aduerfa appellat , flocci facere ; nisi materiae conueniant subiectæ , vel etiam iuste expositionis regulis : id autem penitus videri inficetum , Doctores , haud raro illepidos , iuris nominari architectos ; simulatque ius istud venditari pro certo , quod ex præsumtis opinionibus est consarcinatum , idque e contrario dici incertum , quod legibus Romanis , quas omnes interea sine

sine intermissione crepitant, congruit multo certius. Quod ad rem ipsam attinet, non diffitemur, accusatorem, qui depeccatus est, & vel prævaricatorum more, vel non sine concussionis macula ab accusando destitit, accusationem redintegrare non posse. Id enim *Valerianus & Gallienus* diserte statuunt *I. 3. C. ad SC. Turi-*
pillianum; inque contrarium prolat*a* *Schultingius ad Pauli* sententias p. 232. diluit. Sed frustra sunt, qui hanc ei facultatem inde somniant interdictam, quod transactio-
ne accusatio videatur finita; cum potius alia in prom-
ptu causa sit. Neque enim fidem is meretur amplius,
qui, quam sit cupidus pecunia, quam rerum non con-
temptor utilem, transfigendo; adeo que turpi facto ostendit. Hæc prohibitionis genuina causa, non altera com-
mentitia, quasi transactio aliquid primo accusatori remo-
ræ iniiceret. Igitur aliis utique accusandi permissa libertas
est: quid? quod dubitatū fuit, an accusatoris filius accusa-
re denuo queat pacis centem? (*) Illi vero, qui transactio-
ne de eo, quod interest, itemque de damno per delictum
dato in licitis constituant, suopte indicio produnt, quam
pauper sibi bonæ mentis ac iudicii sit agellus; cum is, qui
de damno sibi illato, aut eo, quod probabiliter sibi abest,
transfigit, nequaquam de crimine transfigat, sed de re ciuili
ac suo arbitrio subiecta. Diu enim est, quum in schola
didici, diversa penitus esse, remittere actionem de da-
mino, renunciare legi Aquilie, conditioni furtivæ;
quin actioni in duplum & quadruplum, & transfigere de

E ipso

(*) Vid. Iul. Pauli recept. sent. Lib. I. Tit. VI. n. 2. & not.
Cuiacii.

ipso crimine, de infamia, de poena publica, de castigatione & coercione a summa potestate decernenda. Quod ipsi etiam non abnuunt pragmatici, monentes, privatorum pactione publicam coercionem tolli non posse, & Republicæ expedire, delicta nocentium non manere impunita. Prorsus enim absone iudicant, qui verba *L. 18. C. de Transact.* intempestive vrgent, nempe ignorandum censuerit iis Principes, qui mortis metu qualiter qualiter sanguinem suum redemissent. Dudum enim Iacobus Wissenbachius obseruauit ad *L. 18. C. de Transact.* IGNOSCERE non esse ABSOLVERE a crimine, sed mitius interpretari factum rei, videlicet, ne ex SC. Turpilliano habeatur pro victo, nec etiam pro corruptente, nonoque ea propter accusationis turbine prematur. Ut autem poenam evadat omnino, aut ex transactione sua fauorem, vel euitandi supplicii argumentum venetur, nusquam ei indultum legitur.

§. XXVIII.

Vnde facili negotio iis satisfacimus, qui e Carpzouii Jurisprudentia Criminale *quest. 148.* arguunt, persecutionem criminalem Iudicem amittere vtique, qui cum fure transfigit. Certum quippe est, falsa penitus IC. hunc ratione niti, quando existimat, secundum sepe citatam *L. 18. C. de Transactionibus*, de crimine capitali licere transfigere. Valde enim vereor, ne error veritatis sedem occupet, ac iuris Saxonici Doctor diuersa misceat. Species, quam subiecit, haec est. Transfigit dominus gregis cum pastore perfide agente, & plures centum oves nefarie subducente. Questio incidebat, an post transactionem coerceri pastor furtum committens

tens posset, atque inquisitio locum haberet? Carpzouius eam ob causam negabat, quod de criminis fas esset, transfigere; ac nobilis ad transactionem descendens accusatoris in locum subebat. Quod postremum an sit verum, haud temere dubitatur; immo vehementer erro, ut Carpzouius labatur. Dominus namque opilioi reparationem damni indulgens de coercitione ac poena neque cogitauit, neque, si poenae mentionem fecisset, eamque remisisset, iure id fecisset. Saltem non obstat, accusatorem, accusatione semel dimissa, non amplius audiri. Merito enim negatur, dominum transigentem confundendum esse cum altera, quam gerit, persona, quae est magistratus. Transegit ut pars, non autem ut pollens iurisdictione, ac mero mixtoque imperio instructus. Ac gaudeo, ansam nunc mihi dari illustrandæ legis I. §. 3. *de calumniatoribus*, quæ Vlpiano tribuitur, quamque tetigi supra. Neque enim, inquit lureconsultus, TRANSACTIONIBVS interdictum, sed sor didis concussionibus. Atque hoc est illud exemplum, quod in medium adduxit celeberrimus Nodtius in dissertatione laudata cap. XIV. quam Diocletianum & Maximianum insignit. Agit, inquit, quis de re priuata & sua civili & priuata actione: dubium non est, quin legibus licita sit, ne agatur, pecunie datio acceptioque, quia legibus licita est transactio. Einge, agit quis de publico, aut fiscali iure, verbi gratia, ex criminis non capitali: non est licita inter accusatorem & reum, ne agatur, pecuniae datio, acceptioque: quia licito iure iam non sit transactio: denique non est transactio; magis concusso ac corruptio videtur. Idemque est, si de capitali criminis transfigatur: nam ne de hoc quidem

E 2

crimi-

crimine legibus licita transactio est. Breuiter ac strictum rem complectar totam; simulatque Carpzouianæ decisioni accommodabo. Dominus de re priuata compositionem iniit, puta, de damno in re sua dato: hæc omnino in lictis est: de publico iure cum magistro pecoris non composituit. Atqui publicum ei ius competit tanquam magistratui inferiori, quod ob muneris rationem obstrictus est dare executioni. Non is habet indulgendi atque absoluendi a crimine & poena potestatem. Fac igitur, eum ad poenam poscere opilionem. Quid hic opponet transactiōnem, an concussionem? Et clarum est ex subiecta definitiōne, quam præiudicium appellant, concussionem abfuisse; nec transactionem vtpote de re sua, ciuili ac priuata actione repugnare legibus. Publica vero actio, seu accusatio, &c, vt hodie interdum loquimur, inquisitio ad hoc negotium priuatum prorsus non pertinet. Carpzouius autem binas personas commisceret, & accusatorem facit magistratum, qui nunquam accusauit, sed de eo, quod sua priuatim intererat, pactionem fecit. Si priuatum auctorem dixisset, rectius rationes subduxisset. Quodenim semel accepit, petere amplius non potest, quia accepit, quod sibi deerat. Iam vero, dum ad perquisitionem sceleris procedenti Carpzouius repugnat; id certe sine causa facit, præsumta opinioni innexus, videlicet magistratum videri accusatorem, qui actor duntaxat fuerat, nec crimen, nec poenam remisit unquam, nec remittere potuit, quum magistratus inferiores omnes non nisi executores legum sint. Puto, imperitoribus quoque liquere, Carpzouii decisionem esse

esse infirmam, & variis erroribus scatentem: licet consentientium & pari sece errore commaculantum doctorum caterua stipetur. Itaque eos, qui nos in nouaturientium classem reponunt, meliori iure ad veteratorum atque cæcuentium pragmaticorum scalam allegamus. Error quippe manifestus est, nec vñquam obdueta cicatrice in veritatem coalescit. Vnde aliis iudicibus licitum censeri omnino debet, deferere Carpzouii fallacia argumenta, & Farinaciana commenta. Hic enim Doctor, Farinacius puta, auctoritate sua effecit, vt Carpzouium ratio fugeret; atque is vero in causa fuit porro, quare ab intellectu legum ceteri abducti præuæ persuasioni ac falsæ opinationi similiter oscitantes locum in foro darent.

§. XXIX.

Quibus ita disputatis possemus nunc hoc de transactionibus caput dimittere, nisi Theophilus Gerhardus Titius iniquam quadantenus reputasset iuris Romani decisionem, nempe ut pro *victo* habeatur & *infiri* de criminè non capitali transfigens. Quanquam enim ad Struuii auctoritatem exercit. VI. §. 62. prouocat, qui de hisce criminibus transactionem hodie licitam pronuntiet, quoniam ex ipsa rei natura huiusmodi prohibitio permanaret neutiquam; nolim tamen illico Viro docto eam ob caussam accommodare consensum. Neque enim tam est iniquum, haberi eum pro confessō, qui pecuniam dedit. Romani vero neque existimarunt, neque statuerunt vñquam, persuasionibus aduersarium sollicitantem, & tandem eo pertrahentem, ne se deferat, nec accuset, pro *victo* confessoque esse haben-

E 3

dum

dum statim. Nam vtut aliquid rationis suppetit, eum, qui rogit ac petit, ne sibi actio criminalis intentetur, propriæ conscientiæ terrore precaria huiusmodi argumenta ad auertendam delatoris iram adhibere; non tamen adeo magna est præsumtio, vt inde quis confessio nem & *λαγχων* arguat iure. Verum si pecuniam addat, si remittat aliquid, si patrimonio suo non nihil detrahat; tum sane maior efficitur coniectura, metu iudicii & pœnæ & conscientia criminis facere, qui suum indebit & sine causa iactat. Est hæc Marquardi Freheri IC. grauis & eruditæ ratiocinatio non vtique spernenda lib. III. de infamia cap. VIII. n. 22. Iam cum legis auctoritas huic præsumptioni non penitus infirmæ accedat, non appareat, quid in ea opinione ac legis Romanæ decreto lateat iniqui; inprimis si meminerimus, non corporis affici pena sic transigentem, nec pro iudicialiter convicto, sed infami duntaxat haberi; vt qui hanc per depactionem satis ostendit, quam non erigatur bona conscientia fiducia. Immo absconum plane videatur, timere infamiam à delatoris reuelatione & accusatione imminentem; quam non declinet pacifens suam inaniter pecuniam profundens. Quod secus est in deprecante eius generis famosum iudicium, aut amicorum intercessione, aut etiam eorum liberalitate ac pecuniæ liberato. Neque enim indignus censi venia debet, qui gratis impetrat, ne secum agatur: quum verecundi animi sit, lites execrari omnes, ac multo magis famosa declinare iudicia, quæ sine strepitu atque iniuriorum malignis interpretationibus vix peraguntur. Sed dare vero & liberalem, vbi de fama certatur, fese often-

ostendere, non solum patefacit animum sceleris recor-
datione agitatum; verum etiam securum vix prestat
dantem, pollicentem, remittentem, quem non solum
alii liberum sit redintegrare accusationis formulam;
verum etiam fenestra malignis hominibus aperiatur,
emungendi intempestive meticulosos copiis atque pe-
cunia sua. *Vnde alibi traditum*, verba Freheri recito
cap. II. *infamie huiusmodi non iustum esse metum*, quia ni-
mirum vacanti à delicto inferri cum effectu non potest. l. 7. in
pr. ff. *quod metus causa*. Contra, quod ab amicis fit,
id ei, qui actione pulsari debuit famosa, tribui ne-
quit; nisi colludat cum iis, qui opum suarum præsidio
liberare suspectum omni animi contentione laborant.

§. XXX.

An vero in usu rerum obtineat contrarium, non-
dum adeo videtur evidens; nisi quidem dissentientes,
vtut falso, existimant, præter infamiam Romanos etiam
transigentibus confessis inflixisse poenam, puta, vt tan-
quam fures, ereptores, aut alias generis delinquentes,
vel ex ordine, vel extra ordinem essent mulctati. Neque
enim hoc factum est: quod præclare ostendit laudatissi-
mus Freherus. Præter contractam labem enim nihil illi
secum geregant; nî accusarentur ab alio, insuperque
sceleris comperti poenas luerent. Quare magis est, vt
dicamus, similem hodienum obtainere poenam, nisi cir-
cumstantiae, de quibus in præcedentibus, mitigationem
suadeant, aut criminis vera perquisitio fiat, ac reus, præ-
ter infamiam, publicam coercionem subeat. *Quod in*
contrarium impulit quosdam auctores, hoc est. Vide-
runt illi, infames iure haud raro ciuitate pelli: igitur tam
feue-

feueros agere iudices ausi non sunt. At qui de infamia apud Romanos melius sunt edociti, non itidem sunt neficii, habuisse etiam iuris infamiam suos gradus, nec singulos illico δημοκαθαρτοι esse affectos. Ut simile statuamus de infamia in nostris foris occurrente, nihil est, quod impeditat. Sæpe enim infamia iuris & infamia facti ita sibi congruunt, ut non nisi subtilissimi ingenii homines differentiam pertenuem animaduertant. An vero is, qui in crimine capitali pecuniam dedit, non subministret indicium, quo grauetur ad questionem & cruciatus, anxie disputatum scio; nec obscurum est, Carpzouium & Zangerum iure eum interrogari; & tormenta adhiberi scripsisse. Sed perspicue falsi sunt, quando hoc ex Romanis iuris fontibus decretum deriuant: quippe secundum istud omnes soluuntur eculeo omnesque laminæ manent extinctæ. Proinde nouis argumentis opus est, nouoque probationum indice. Est enim certum, transactionem nihil iis molestia conciliare.

§. XXXI.

Istud vero leuidenter est, quod Georgius Beyerus additum in digestis ad h. i. ratus, rectius fuisse facturos Romanos, si transigendi facultatem in criminibus capitalibus nemini concessissent. Magis quippe interesse publicæ rei, ut ne de his compositionē ineant, quam de alteris, in quæ capitib[us] poena statuta non est. Verum tamen elucet ex huiusmodi argumento, eum rationem legis Quiritium planè non perspexisse. Nemini enim permiserunt isti, ut supra sæpius inculcauimus, transigendi de vilo delicto potestatem. Et causa vero, ne pro vieto & condemnato haberent sanguinem suum redimentem, aliunde merito,

rito dicitur. Qui enim se a mortis periculo liberare cupit, is sane confiteri non est existimandus. Quidquid facit, non confundi animo facere videtur, sed liberandi sese a malo, quod omnium apparet Φαρεγότατον. Hic metus iustus est, simul atque venia dignus, non autem odiosa interpretatione premendus: cum e contrario metus infamiae in virum sapientem & constantem caderet nequeat, quippe qui intelligit probe, neminem efficeret, omni licet machina posse, ut, qui nullo sese crimine obstrinxit, existimationis sue solennem iacturam faciat. Nec obest, vix etiam euenturum, ut, quis sit innocens, capite mulctetur praeter meritum. Est enim cognitum, quam sit exiguum sepe inter dolum & culpam interuallum: ut silentio prætereamus ordinem iudiciorum publicorum, interrogationes, incomoda, tormenta, apparitionem in foro, immutationem habitus, cetera: quæ sicuti non sunt huius loci; ita tam visa sunt Quiritibus acerba, ut leniori interpretamento eius emollient factum, qui publica ex lege criminis arcessebatur. Adeo utile est in Romani iuris penitissimas rationes inquirere, ne quis grandem dicam temere impingat Romuli nepotibus; eoque pacto nudum vetusti iuris defensoribus latus præbeat.

§. XXXII.

Sed tempus est, ut in Pontificum decreta oculos coniiciamus: unde constat, spiritualia, in quibus præcipue matrimonium recensetur, priuato transigentium arbitrio esse exempta (c. f. X. de Transactionibus.) Nec diffitendum, habere Pontificios sat rationis, quare sic statuant, *Quis enim nescit, contractum matrimonii,*

F

ii

si rite fiat, sacramenti novæ legis rationem induisse, eo-
que spirituale redditum materiam pecuniæ omnem, seu
temporale respuere. Ad hanc sententiam stabiliendam
Patrum meditationes oratoriæ ansam dedere, in primis
Chrysostomi & Augustini, qui locum epistole ad E-
phesios cap. V. §. 31. seq. tot lecythis ac figuris exor-
narunt, vt demum sacramentorum in classem repositum
sit coniugii πυρήνης μέγα. Cuius opinionis cum pigeat
nunc purioris religionis cultores, mirum est, non statui
in licitis, de sponsalibus dato aliquo, vel retento suo
transigere arbitrio. Quare eo nonnulli ex Ictis deuen-
nere, vt hanc conclusionem ad reliquias Papistim refer-
rent, nondum e pomeriis Iurisprudentiae, vbi vetus fer-
mentum & falla de matrimonio notio inoluit, proscri-
ptas. Quibus cum obloquatur Gribnerus (*) cum ce-
leberrimo Academiæ Iulia Professore Leylero, (**) vi-
dendum, quanto id faciant cum pondere. Et putant
illi, interesse utique reipublicæ, vt matrimonia promo-
ueantur, nec fides data temere reuocetur, idque regulis
honestatis conuenire. Quin nec omnem de matrimo-
nio transactionem censeri prohibitam, dummodo ea fiat
supremi iudicii, quod consistorium vocamus, auto-
ritate. Quæ obseruatio, quum inspicitur ἐν ταχεόδῳ ali-
quid certe rationis continere videtur. At cum argumen-
ta

(*) Dissert. de his, quæ ex iure Protestantium matri-
moniali ad reliquias sacramenti perperam referuntur
§. II.

(**) Meditat. ad Pandectas specim. 47. n. 5.

ta hodiernorum doctorum curatius exiguntur, nondum omnia papismi analecta euanescent. Id verum, Euan-gelicos vehementer repugnare Pontifici eiusque aseclis, matrimonii figuram sacramentum reputantibus. At quando queritur, quare eius generis prohibitio in no-stris foris consistat, audies profecto similia patrum di-tatis & pontificum decretis. Aiunt enim, aduersus sponsalia certa iudicis auctoritate opus esse propterea, quia hic vicem Dei gerat, nec matrimonium sit contra-ctus, nec pactum vulgaribus simile. Quod si amplius perconteris, quare ita rationes subducant, percipies ite-rum, coniugium esse rem spiritualem, quæque Deus coniunxit homo ne separet. Qui secus sentiunt, & Carpzouiana præiudicia ex alio fonte lauant, næ illi cum cura neutiquam legerunt Carpzouium, non etiam Pe-trum Heigium, canones semper cum superstitione do-ctrina repetentes, ac pontificum flosculos spargentes vndique, iactantelque sine intermissione huiusmodi corollas. Quocirca nullum mihi dubium haeret, quin si-mili ratione sint buccas inflaturi, atque inflat summus Pontifex, si obstringerentur serio, vt cælesti hoc in ne-gotio clarius probarent. Valde enim timeo, ne mysti-ci intellectus reuerentiam non sint deposituri; sed ad mysterium illud magnum transistiri cum ceteris. Atque hoc sane in causa fuit, & est, quare sponsalia omnia tan-quam diuinas coniunctiones contueantur. Quid vero diuinum inuenitur, quæso, in promissione stolidi iuue-nis cum bubequa ac femina non admodum honesta futuri matrimonii foedus, cum rei familiaris damno, cum propriæ famæ dedecore ac propinquorum fastidio ne-

etentis? Ego hac in re aliud nihil deprehendo diuini, quam supremi Numinis prouidentiam generalem, sine cuius permisso nec vilis passer, nec garrula hirundo decidit tecto. Verum enim est, ruere eius farinæ hominem in coniugii rete, ruere in exitium, ut ruit passer atque animal quodvis cadit indomitum; sed inde, quæ necatur, consecutio, ut retrahere proprio iudicio pedem ab evidenti pernicie nequeat, sed stolidam demum electionem cum solennibus ac prologo agnoscat, saltem necessaria non videtur; multo minus diuinum, cælesti, spirituale obsistere transactioni existimandum est. Quamobrem Gribnerus equidem cum Leysero doctiss philosophatur, arguendo, ciuitatis lege id posse principi, posse etiam nonnihil argumenti conquiri, ut nearbitraria huiusmodi lex ab omni colore destituta inueniatur. Verumtamen quod de matrimoniis promouendis iidem inspergunt, tanti non est, ut rigidæ demonstrationis examen subire aptum sit. Quid enim interest publicæ rei, quæso, ut Habacuc coniugii vinculo copuletur cum Debora, aut Dorio cum Clytemnestra? Quod si quæstio versaretur, an parte altera inuita resilire a promisso possit Pamphilus; tum sane non esset superuacaneum, adire iudicem, audire argumenta Mysidis, expendere documenta Pamphili & rationes ab eo conquisitas circumspicere cum cura. At quando vtraque pars consentit, &, dato aliquo, vel retento utilitati propriæ consultit, quare vocandos ad iudicis tribunal censeamus transigentes? quare arctam amicitiam inculcemos ineundam iisdem, qui nolunt, qui transigendi animum ostentant electionis ineptæ poenitentia ducti? Immo vero facilius id

id tolerarem argumenti, si calibum magna apud Germanos copia esset, si a connubiis abhorrent Hispanorum more, si liberorum ac hominum egestas in ciuitatibus ac pagis deprehenderetur, sique incommodis matrimonii deterriti ad compositionem profilarent molles, vel amoris omnis expertes transfigere vitam solitarii cuperent. Quae vniuersa cum non occurrant, precaria fane humanitas est, atque superflua cura, conglutinare matrimonia, quae nunquam deerunt, & ad arctissimam amicitiam suationibus stimulare & compellere dissentientes, qui rebus suis melius prospicere cogitant, & affectum fathum corrigendo aptiori socio sociaque mascipare eundem satagunt. Quae res efficit omnino, ut a lureconsultorum ceteroquin clarissimorum biga dissentiant Hallenses & in Carpzouii aliorumque libellis crepitaculum papismi tinnire sibi persuadeant: vtut Gribnerus ac Leyferus illas rationes præteruecti alia argumenta substituant, &c, quod quadanterus fit verisimile, tantum mysterium in matrimonio non agnoscant, quantum Carpzouius, ceterique Doctores ad vnum ferre omnes. Ceterum id nemo iuerit inficias, caussam coniugii esse negotium graue ac magni momenti; sed propterea tamen ridendum se exponeret, qui peculiariiter diuinum ac cælesti dicat, & spirituale configat, &c, nescio, quod vinculum incomprehensibile commentetur. Totum illud Pauli mysterium in coniunctione Christi cum ecclesia latet. Quod de matrimonio inspergitur, comparisonem continet. Sicut Christus diligit ecclesiam suam, ita maritus vxorem: sicut ecclesia Christo est subiecta, ita vxor coniugi suo: sicut Christus,

F 3

qui

qui est caput, membra sua non odit; ita maritus carnem suam non tam odio prosequatur, quam diligit nutritiae. Simili pacto veritati consonum est, vt quod Deus coniunxit, homo ne separet; hoc est, quod Deus coniunctum perpetuo cupit, homo pro lubitu ne diuellat. Supremo etenim omnium rerum moderatori stabilia placent coniugia, non discindenda sine causa, pro vniuerscuiusque effreni appetitu. At inferre inde ad sponsalia, quæ sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum, eo male applicare ac trahere sacrarum litterarum loca, prouidere tam sollicite, ne transfigant extra iudicium, ac sine Dei iussu, quem repræsentet Iudex, non admittere iusserandum delatum contra matrimonium, istud intueri vt spirituale ac cælestis, ac multis denique suasionibus obtundere transfigere volentes; hoc sane est vexare conscientias, inuitare homines ad perpetuas rixas alendas, eos condemnare ad triremes, procudere nouas doctrinas, aut aliquid sacramento simile, gradum nouum facere ad tenebras papatus, quamdiu GRIBNERVS non efficit, vt supponatur sua ratio, & Carpzouii spiritale, & inepta Pontificum glossemata, istaque idea singularis sanctitatis & diuinitatis matrimoniali iurisprudentia penitus eiiciantur. Atque hæc in cathedra disputamus & futuris legislatoribus scribimus. Nunc cum in aurem omnibus ganniat usus fori, ne priuatim transfigant despontati; consulti eodem modo respondent Hallenses, atque Wittebergenses, Lipsienses, lenenses ceteri: quantumuis aliis argumentis vitantur, & spirituale vinculum ac sacramentum pisticum oientes conclusiones ac rationes flocci faciant.

Ne-

Neque enim persuadebit nobis plene Leyserus, Carpzouium in hoc se a Pontificiorum superstitione auellere, quod transactiōnem iudicis auctoritate admittat. Hoc enim si foret, quare, queso, de iure iurando delato contra matrimonium, etiam in iudicio, tantos ille fluctus excitat? quare tam sollicite distinguit, sitne promissio matrimonii in facto dubia, an certa, nisi ei praestringerent oculos sacramenti reliquie, illudque cælesti, spirituale, quod Romanus sacerdos iactat in primis, summe illum redderet inquietum? Quod ad me adtinet, diffiteris sane non possum, me ita semper animum induxisse, tam inepte omnes ex epistola laudata Paulina ad peculiarem coniugii sanctimoniam argumentari, quam facerent isti, qui turri in monte Libanon exstructæ non nihil cælesti tribuerent, quia in excellētissimo Salomonis cantico nasus sponsæ pudētissimæ turri huic celebratissimæ fuit collatus. Adeo vtile est addiscere stilum scriptorum veteris ac noui testamenti, qui comparationibus plenus est; nec eas interea extendere vltra scopum loquentium, hoc est, quod in scholis aiunt, vltra suum tertium. Qui hoc monitum negligunt, in phantasmatā incident & errorum multiplices insidias, vnde noua quotidie pullulant commenta. Minimum Romani veteres, etiam cum Christo dedere nomen, priuatas in matrimonialibus transactiōnēs non prohibuere, sed magnam hoc in negotio pacientibus libertatem reliquere. De matrimonio, quod est plene consummatum, nunc non est dicendi locus; habetque Praefes, quod peculiari de diuortiis tractatu explicit copiosus. De cetero repetimus consulto, coniugium

gium videri sanctum, inuiolabile, ac esse debere verecundum omnesque eo conniti, vt deliberato animo socium sociamque sibi querant sapientem : sed si aberrauerint a ianua, si in electione caecutiuerent sua; tum hercle nimium existimo prouidentes, qui sub specie singularis probitatis, datae fidei, laefae honestatis volentes abscedere variis scrupulis obruunt &, inter plura euentiti iuris emblemata, variosque inanes gemitus simpliciora ingenia torrefaciunt. Quid pro re nata & sape pro arbitrio ciuitas possit, ad nostram disputationem non pertinet.

§. XXXIII.

Quod dum contraeuntes expendant, nos interea dispicimus, an transactio, quod §. II. stabiliuimus, fundat & generet ius nouum ac certum ; atque si hoc, an transactio vocari queat nouatio? Multum hic sudat celeberrimus Lynkerus in commentario ad ff. pag. 422. ne admittatur nouatio veterem actionem perimens. Adeo *I.vii.Cod. de Nou. eum obfirmat, diserte praepiciens, ut nouationis sigillatim mentio fiat.* Atque hinc absolute adfirmari neutiquam, concludit, posse, transactionem inducere nouationem, nisi animum nouandi specialis pacifcentium voluntas patefaciat. At ego vero aliter rationes inire soleo, atque vir illustris Justinianeae constitutioni nimium tribuens. Nam cum in causam huius decisionis inquiritur, facile est ad intelligendum, docente F. Balduino Justiniani Lib. II. pag. 126. *veteres facile esse interpretatos, nouationem fieri, quoies noui aliquid eveniebat in secunda obligatione, ut quia mutabatur persona, vel dies, vel conditio, vel quantitas, vel pignus, vel fideiussor.* In pandectis autem loquebantur Iureconsulti, ut nouationem ita demum fieri

fieri dixerint, si nouandi cauſa, vel animo id fiat. Igitur quarebatur ſequi ex facto, an nouandi animus adfuerit? Quas dubitationes ut tolleret Iustinianus, ſimpliſter statuit, tuac demum nouationem fieri, cum ſpeciatim expreſſum eſt, hocagi. Quod ſi nominatim expreſſum non eſt, nullam nouationem intelligi, ſed *civis a-
reutus* causam procedere. Ac probat Balduinus *civis a-
reutus* eſſe fere latinum; idque ſeſe accepiffe e MS. Alii
ἄνευ καινότητος effinxerunt: quod nunc in medio relinquo. Sat eſt, non feciſſe Iustinianum temere, quod nouationem in re dubia ac obscura non paſſus eſt fingere. Nam probabilius eſt, pergit Balduinus, ſi pulaorem noluisse temere a priori obligatione recedere, cum alteram cumulat: & maluisse adiicere, quam detrahere. Sed nunc vero quaerendi cauſa eſt maximie praegnans, an temere admittatur nouatio, vbi mutationis & nouationis animus in ſenſu omnes incurrit? Qui enim transigit, litem veterem ſecundum propriam voluntatem dimittit, ac certam nouamque conuenctionem init priore actione obliuioni vtrinque permifſa. Quamobrem perperam dubitatur; an lex vlt. C. de Nouationibus ad hanc cauſam pertineat? Quemadmodum enim rei iudicatae fere ſimilis eſt transactio, & res iudicata, quanquam nihil ſpeciatim de nouatione dicitur, nouationem per ſe continent; ita in transactionibus perſpicuum eſt, nouationem huic negotio inesse. Nec concludit, manere aliquando ac restaurari veterem actionem, igitur eam non videri penitus extinctam. Quando enim manet, vel restauratur? Cum vna pars non ſtat transactione? Et nego. Ipsi Romani non existimarunt, transactionem ſemel perfectam, quam tamen pars vna non implet, illico cadere in irritum. Expreſſe enim in

50 SINGVL. DE TRANSACTIONVM STABILITAT^E

l. 33. C. de Transactionibus Imperatores aiunt, iura prohibere, instaurari item. Potius actione cogendus est, qui non fecit, quod ex stipulatu debebat facere, aut non præstítit, quod vicissim præstandum in se suscepit. Priori specie actio ex stipulatu, posteriori præscriptis verbis actio locum indipiscitur. Pœnitendi ius hac parte utique exulat, quia hoc fini transigentium & decedentium a controuersia prorsus contrarium est. Una exceptio in transactione pacto nudo inita apud Quirites obseruat eoque merito refertur *l. 21. C. de Pactis.* Nam illa in specie nullum iuris remedium superest potenti impleri transactionem, nisi possideat, & exceptione sua vrgere fidem fallentem possit, adeoque per circuitam cogere, ut promissioni satisfaciat. Ex pacto nudo vero nulla nascebatur noua actio. Igitur per se patet, veterem resumti debere actionem, ne ex perfidia sua lucrum acquirat fidem non seruans.

§. XXXIV.

Atque ita vero, adseuerabit doctrina ac meritis excellentissimus Lynekerus, perspicue patet error, quo transaction pro nouationis specie simpliciter venditatur. Vel enim vetus actio est extincta, vel non. Si prius, quomodo veteri actioni reddetur vita? si posterius, quare igitur interuenisse dicitur nouatio perimens, seu extinguis? Cui dilemmati ut occurram, obseruo, transactionem pacto nudo factam iure referri ad *transactiones conditionales.* Vti enim possum sub conditione pacifici; ita etiam sub conditione possum transfigere pacto nudo intellectu iuris Romani. Sensus igitur talis transactionis est: *quod si tu pactum non impleas tuum, neque me au-*
dias

dias, non etiam lis sit finita. Diuersa enim sunt, omittere litem, & finire. Conditio tam expressa, quam tacita nihil finit, sed interea suspendit. At finge iam, interuenisse caussam, hoc est, præstationem, interuenisse stipulationem, vel simplicem, vel compositam, qualis erat stipulatio Aquiliana, quid tum? Nihilne nouationis perimenti hic deprehenditur? An vero dixeris, ipsis iure superare, aut motum recipere actionis pristinæ & paullisper suspensæ figuram? Dubitandi ratio est: non fecisse me, quod lege transactionis fieri oportuit. Verum tamen animaduerti iam, non pati iura, ut confessim restauretur lis. Agendum est igitur: compellendus sum, nec deest forma præscripta, nec deficiunt actionum ciuilium nomina, ac verba. Lis namque est finita, nihil refurgit, quamdiu alter paratus est, qui moram nexuit, qui non impleuit, quod debebat, implere nunc, quod debet. Quod si vero nolit, nec mihi deinde placeat agere, vtriusque consensu desciscitur a transactione. Sed caue putas, consequi inde, nouationem non interuenisse reuera. Extincta vtique est vetus actio, ut in emtione ac venditione vendoris extinguitur dominium. Licet vero iterum vendere: & iam non tam reuiuscit dominium prius, quam a venditore novo in emptorem transfertur nouum. Qui olim empter, nunc fit vendor; qui vendor, iterum fit emptor. Applico ad transactiones, quod effero. Nam quum eterque a transactiōne resilit, vtrinque restituitur ius agenti, & excipiendi, sicuti emptor vetus restituit dominium vendori, & hic vicissim pecuniam, quam accepit. Et nemo arguet interea cum ratione, dominium primi

G 2

ven-

vendoris non fuisse olim finitum, seu extinctum. Similiter dic, neminem crediturum, actionem veterem non esse extinctam. Quod autem restituitur dominium, sicuti non tam vetus est, quam nouum; ita, quod soluto transactionis vinculo redditur, ius agendi, etiam nouum ius videtur. Idcirco tota lis nunc ad quæstionem de eodem ac diuerso reuertet, & ad caput de *relationibus* pertinebit. Videtur enim, fateor, ius vetus, quia lis, quæ fuit, vtriusque consensu restauratur. Verumtamen consensus reciprocus alio respectu efficit, ne videatur vetus, quia factum nouum interuenit. Igitur in hoc vertitur cardo, (arrigat aures, qui, quod statuimus, intelligere satagit) an quod novo facto restituitur, ac redditur, sit vetus, quod sine hoc facto non esset extitatum? Quod non est extitatum, pergo, sine facto novo, non est; igitur & prædicatum *vetus* in auras habitur. Ceterum id facile permittitur, rem petitam esse eandem; sed hic de iure quæstio est, & actione, itemque exceptione. Nouum factum nouum ius dat, igitur datur nouationis nouatio, datur amissi restitutio, ac restitutum ex noua causa, nouum ius est; quod leges permitunt. Ne oggeras, nimis hæc videri acuta. Statim enim regero, morales res secundum animi nostri intentionem, ac finem vtrinque approbatum alterari, gigni, & extingui. Est hic, veluti in Heracliti Philosophia, *ἄνα & κάτω συριγμὸν* ac *deorsum*: vnius generatio est alterius corruptio, corruptio est generatio; nec, quod imprimas memoria, resuscitatio in moralibus tam est difficilis, quam in naturalibus rebus; quin nec tam spinosa est hæc controuersia, quam in theologia, quando queritur, vtrum idem numero

mero corpus sit resurrectum? Ac clarum est interea, in hac iuris parte, nouum ius idem numero ius non esse atque fuit vetus, quamvis idem sit genere. Ut namque vetus ex propria causa permanauit; ita nouum ex peculiari causa gignitur. Propria vero causa veteris iuris alia est a propria causa noui iuris: quod quineant, n^e illi voculam PROPRII non capiunt, sed PRIVM AC COMMUNE ignave miscent. Adde, res morales meras relationes esse, non item naturales: quod propterea addimus, ne quis resuscitationem corporum ac rerum iuridicarum eodem modulo metiat.

§. XXXV.

Quibus præmissis nunc age, ad I. 14. C. de Transactionibus descendamus. Rescribunt Diocletianus & Maximianus Sopatré: *Si diuersa pars contra placitum agere nititur, æquitatis ratio suadet, resuſca pecunia (cum & in hoc desideras) cauſam ex integro agi.* Deprehendimus hoc loco, non satis esse, vt vna pars agat contra placitum: sed clare utramque partem in redintegrationem consentire debere. Noua conuentione hic restituitur ius pristinum, quod in resuſcitate morali possibile est, observante hoc Brunnemann, ad h. l. quamlibet non adeo perspicue, vti fas erat, rem exprimat. Dubium vero istud, quod a collatione transactionis ad rem iudicatam sumitur, leue omnino est. Nemo etenim nescit, occurrere hic comparata; non eadem. Atque illa vero multis in rebus semper manent diuersa. Quod optime in causa iudicati & transactionis Jacobus Wissenbachius in Commentario ad I. 20. C. de Transact. in aprico constituit. Nam et si conseq̄ illatio est: lis iudicis decre-

G 3

to

to plene decisa est; igitur priuatum amplius transfigi nequit: non tamen recte concluditur e contrario: res dubia transactione finita est, igitur priuata conventione fieri nequit, vt iterum iudicis auctoritate decidatur. Iudicamur inuiti: paciscimur ac contrahimus volentes: in nostros contractus ac pactiones ius nobis saluum restat: in rem iudicatam priuatis nihil facultatis censeri debet relictum; vt ii definiant noue, quod iam est auctoritate publica decisum. Ut vero gratis renuncient suo iuri, sicuti nemo impedit, ita in praesenti neutiquam disceptatur.

§. XXXVI.

At longe diuersa quæstio est, eaque quodammodo facti, quandonam partes sint credendæ a compositione semel facta recedere? Ethic recte Leyserus (*) causidicos simul atque Doctores reprehendit, qui transactionem euangelicere statim perhibent, cum vnuis in re praestanda, ad quam est obstrictus, moras necit. Neque enim ipsi Romani tam fuere feueri, quam sunt isti in transactionibus abolendis. Igitur magis est, vt, cum quis iusto tempore non implet, quod sibi faciendum est, alter agat, idque, quod interest, poscat; nisi quidem redditis, quæ data sunt, vel retenta, vtrique PERSPIKE placeat, ferram contentionis reciprocare de nouo. Ut vero vnuis parte inuita altera statim resiliat; sicubi illico & non plene præstantur conuenta, & legibus Romanis & moribus nostris contrarium est. Cui non obest: eum conqueri non posse de fide violata, quiipse alii non præstat

(*) Medit. ad Pandectas specim. XLVI. n. 5.

stat fidem. Tametsi enim hoc verissimum sit ac perspicue errent auctores, qui violatam fidem vlcisci simili perfidia nefas putant: cum id sane nec iniquum, nec etiam perfidia censeri debeat; tamen publice interest, ne temere excitentur lites, sed omnia potius obnixe fiant, vt transactiones teneant, atque effectui dentur, quam vt, iis rescissis, litibus iterum forum ac controuerliis perstrepant. Quæ extrema ratio melior est profecto, quam altera ab aliis excogitata, ac si perfidia simili se se macularet, qui fidem primum non seruanti deneget, seque ab obligatione vacuum credat, quum pars altera dolo malo transactionis fundamenta subruit. Est enim vtique certum, eum dolo malo exigere fidem, & seruari transactionem sibi, non alii. Quare publicæ utilitatis ratio vincit; quam signate exprimunt Imperatores *I. 10. C. de Transact. NVLLVM futuram litium finem statuentes, si a transactionibus bona fide interpositis coperit FACILE discedi.*

§. XXXVII.

In primis autem hodie & apud Germanos quam plurimæ cessant tricæ ob pactorum & stipulationum differentiam nunquam receptam. Quod luculenter potuisse per illustrem Lynkerum conuincere, eo minus superesse dubii, transactionem continere nouationem permanentem, nec nisi per ambages & nouam ac peculiarem conuentionem veterem excitari actionem posse. Id interim largimur vltro, non ita extingui pristinum ius, nunquam vt recipere spiritum ac in vitam reduciqueat, si velint transfigentes hancque suam voluntatem euidenti signo demonstrent. Neque enim tantis difficulta-

cultatibus obstructum negotium est, resuscitare rem incorporealem, quam corporalem. Posterius auctor naturae, prius sola pacifcentium animi intentio, itemque efficax voluntas efficit.

§. XXXVIII.

Extra quod non est non diffitendum, transactionem ius inter partes facere ac pro veritate haberi, quod placuit. Quare nec paenitentia vnius; quin ne quidem imperiali rescripto rescindi nouum hoc ius atque certum potest: de quo *I. 39. & I. 26. C. de Transactionibus euoluendae.* Libera enim voluntate componimus; cumque laedimur, non iniquitati & imprudentiae iudicis, vi- liusue alterius dolo vel culpe, sed nulli, nisi nobis ipsi tribuere possumus: quod argumentum in primis etiam a Demosthene in oratione aduersus Pantænetum fuisse copiosius explicatum Antonius Schultingius in dissert. de *Transactione super controvrsis*, quæ ex ultimis voluntatibus proficiuntur §. I. animaduertit, atque ante eum Fornerius ad *I. 229. de V. S.* nonnulla alia huc facientia ex eiusdem Demosthenis exceptione aduersus Nausimachum adulit, quæ non repetemus. Id memoratu non existimamus indignum, Imperatores, qui sub tyrannis gesta protinus infirmarunt; ea tamen, quæ vel sententiis, vel transactionibus dirimi placuit, non iudicasse rescindenda, quemadmodum Arcadii & Honorii constitutio, quæ in Codice inuenitur Theodosiano lib. XV. Tit. XIV. I. 9. de infirmandis his, quæ a tyramis aut barbaris gesta sunt, id euidenter comprobatur. Vnde demonstratu haud difficile, quare nec noua instrumenta reperta transactionem

nem

nem confodian, neque laesio enormis eandem subruat.

§. XXXIX.

Quod ad primum, de quo pauca inspersimus supra, res sane manifesta est ex l. 19. C. de transactionibus. **SVB
PRÆ TEXTV** instrumenti post reperi, transactionem bona si de finitani rescindi, iura non patiuntur. Dubium non est, obuiam ire Imperatores Diocletianum & Maximianum improbitati eorum, qui, vt Symmachus loquitur lib. VII. epist. 109. reducunt in quaestionem passionibus terminata, & per impatientiam quietis, finem iurii secunda lite commutant. In vanum enim iniquitas recidit, quam hic somniant homines nullo iudicio pollentes, videlicet, vt solvatur, quod nunquam fuit debitum, aut remittatur, quod deberi nunc potest liquido probati. Certe non considerant huius farinæ auctores, totam Mucapionum doctrinam vacillaturam, si tam inepto arguento aliquid ponderis foret tribuendum: quid? quod rerum iudicatarum auctoritati certissima immineret ruina, si huic machinæ vel tantillum constitueretur pretii. Quibus addendum, in transactione non dari, aut promitti ea legge, vt debitum solvatur, sed potius vt a lite discedatur; coequre argue Nodtius de de pact. & transactionibus cap. III. p. 660. Dari ob rem, id est, ob caussam, non præteritam, sed futuram, ipsam probam atque etiam sequitam, ideoque nec renocari tanquam indebitum debere. l. 65. §. 1. de conditione indebiti. Vnde prorsus est ridiculum, rem fieri plane certam instrumentis nouis repertis; itaque non valituram transactionem, in quares exigitur dubia. Sat est, eo tempore caussam fuisse dubiam, cum compositio-

H

nem

nem præferrent partes molestissimæ litis incommodis. Nec reminiscor, me villo in iuris systemate legisse unquam, rem in transactione æternum esse, ac manere dubiam debere. Vnde non minus illepidum est, quando pergunta, rem venisse in eum statum, a quo incipere nequit. Nequaquam enim quæritur, an nunc incipere transactione queat? Facta sunt omnia: deficit lis: non indagatur, num debeatur, sed an sit transactum, ac ius alterius olim incertum proprio consensu atque arbitrio peremptum? Ac bona fides vero vti præponitur generatim; ita dolus ac metus prorsus excluduntur. Quæ de errore possunt obtendi, supra sunt discussa.

§. XL.

Ceterum nemo resistet adffirmantibus, de caussa publica nonnihil hic iactari a Doctoribus singulare: in quam opinionem *I. 35. ff. de re iud.* eos videtur induxisse. Re tamen rectius pensata non tam nouum ius in transactionis caussa publicæ rei est tributum, quam ius commune speciatim magis firmatum & accommodatum. Quis enim inficiatur, minores etiam contra transactionem restitui in integrum? At ciuitas & caussa publica, ecclesia, vniuersitates minorum iure fruuntur. Cumque in restitutione in integrum læsio sæpe sit probanda documentis; appareat sane, probationem non futuram difficilem, si noua instrumenta reperta damnum sat gracie lacunamque in patrimonio ciuitatis coortam constituant in luce.

§. XLI.

Sed alia plane & ab hac longo interuallo distans controuersia est, an quod lege ciuili ciuitatibus tributum

tum priuilegium est, respublica contra rempublicam
in libertate agentem, Princeps contra Principem adeo
magnificis possit vrgere verbis, vt fecerunt $\ddot{\alpha}\beta\gamma\lambda\omega$ qui-
dam ICti? Et non existimem, virum doctum adeo pos-
se despere, vt iura obtrudat arbitraria viuentibus in li-
bertate. Nisi igitur fraus ostendi, nisi circumscriptio
ac calunnia euidens queat illico redi, non audiendum
crederem Principem nouas tabulas, ac noua documen-
torum lymata iactantem. Nondum enim claret, to-
tum transactionis negotium huiusmodi superstructum
conditioni fuisse; puta, nulla aliquando detectum iri in-
strumenta noua. Nec iuuat, damnum inde non modi-
cum redundare in Principem præcipiti consilio transi-
gentem. Quis enim coagit eum, vt ad transactionem
præceps rueret? Damnum, quod quis sua culpa sentit,
non est damnum, etiam, si rationem audias solam. Et
fac, non intercurrisse paciscentis negligentiam; vnde hoc
probabit? An testium productio inter gentes nullum
communem iudicem habentes in vsu est? an iurisurandi
delatio locum inueniet? annon contensisse dicent in
errorem ad compositionem pacificam procedentem?
Atque si hoc, quomodo se immunem efficiet ab obligationis
vinculo? Sin secus, qua ratione presumptionem
contra se facientem elidet, vt pactum iam non sit pactum,
transactum non transactum? Quod si vero quis adeo o-
mnem pudorem deponat, vt Regum ac Principum
conditionem sic duriorem ganniat futuram, quam minimi
municipii, aut vniuersitatis, is, rogo, audiat: non esse
primo duriorem hac parte Regum conditionem. Tota
enim difficultas in eo cubat, vt partim probetur error, par-
H 2
tim

tim etiam, vt, in errorem non fuisse generaliter ac per a-
versionem quasi consensum, lucidissime ostendatur. De
quo quum sit desperandum, alterum adiiciendum est:
non adeo videri absconum, Principes in omnibus priua-
torum conditionem nec adtingere, nec sequi. Condunt
priuati testamenta non sine effectu; cum vicissim Princi-
pum ac potentissimorum Regum ultimae voluntates ne-
gligantur haud raro iure atque impune. Quin quæstum,
cui ciues operam dant, Principes ut plurimum non ex-
ercent. Non sunt illi mercatores, nec caupones, non
vendunt potum ex hordeo lupuloque expressum, quid?
quod ignorant & omittunt illi pleraque, nec peragunt
sexcenta, quibus vilissima fortis homines operam dant;
& nemo tamen est, qui in omnibus Principiū ac priuato-
rum conditionem contendat æquandam. Quare fixum
maneat, neque his nouorū instrumentorum tabulas ad
rescindendas compositiones de iure prodesse. Quid de
facto contingat, non opera est pretium expendere.

§. XLII.

Exactiorem autem considerationem meretur no-
bilis quæstio, an enormis laesio operetur, vt a transac-
tionis littera sit resiliendum? Et fatentur iuris au-
tores plerique, non ferre naturam transactionis, quæ
est ad lites finiendas comparata, eoque collata iuriu-
rando & rei iudicatæ, vt ad immodicam laesionem re-
spiciant consulti; maxime, cum is videatur sat ma-
gnam capere lucri portionem, qui a molestia litis in-
certæ ac dubiæ liberatus tranquille occipit agere. Nec
negligendum, transigentes hærere in ambiguo, an de-
beatur tantum, quantum petitur. Ambigui vero nul-
la

la æstimatio certa est, quia ambiguum. Et vbi autem æstimatio certa deficit, ibi comprehensu difficile est, quomodo læsio vltra alterum tantum probari queat. Ignoratur enim prius tantum; nescitur, quid debeatur; atque alterum tantum vero primam summam præponit, nec sine illa intelligitur. Contra in emptione ac venditione, in qua enorme hoc detrimentum non omitendum credidit iuris auctoritas; tempore contractus aliquando certa est æstimatio, quæ in transactione propter dubium litis euentum, ac probationum deficiens argumentum abest vtique. Quid postea innotescat, non sane attenditur, quia tum non amplius transfigitur, sed iam transactum est, & lis omnis finita. Qui hic contra nituntur, seipso confundunt, parum memores, se respondisse dissentientibus, ac rescissionem transactionis, ob noua documenta reperta, flagitantibus: nec dari, nec accipi propter præteritam, sed futuram causam, ut iurgii imminentis tristes minæ faceant. Quocirca nihil restat, si rationes inire cupiant, exacte, quam illud immodicum, enorme, quod illos angit; non peruidentes iterum, hoc enorme in intellectu eorum duntaxat residere, aut, post finitum denum negotium, difficile fere probatione emergere. Cuius rei demonstrationem, qui non capiunt illi sane iustam conquerendi causam vix habent, si nec audiantur, quando ad *I. s. C. de dolo malo*, quæ est Diocletiani & Maximiani, intempestive prouocant. Tam enim clarum est, ab Imperatoribus respici dolum patris transi- gentis, ac filiæ ob verecundiam actionem in factum contra parentem iniquum tribui; ut mirum sit ambulare

H 3

CONA-

conari in tenebris, quibus inuitis verborum lumen exprimere consensum, & ante oculos micans legis excitatæ ratio viam planam ac rectam queat ostendere. Hoc vero decantatae legis præsidio sublato, tam excellens nunc apparebit Ceruidii Scœuolæ responsum, tam luculentum atque conuincens, vt maior documentorum apparatus non videatur necessarius. Is enim l. 78. ad SC. Trebellianum §. vlt. aperte: HERES eius, qui post mortem suam rogatus erat vniuersam hæreditatem restituere, minimam quantitatem, quam solam in bonis fuisse dicebat, his quibus fideicommissum debebatur, restituit: postea repertis instrumentis, apparuit quadruplo amplius (in) hæreditate fuisse. Quæstum est, an in reliquum fideicommissi nomine comueniri posse? Respondi secundum ea, quæ proponerentur, si non transactionum esset, posse. Qui in contrarium propendunt, necessum habent demonstrare, post Marci tempora aliud irrepsisse in mores, ac fori vsum. Et nihil vero reliquum iis est, quam l. 5. C. de dolo malo, quam exposuimus iam dum, nec ad præsentem pertinere causam demonstrauimus.

§. XLIII.

Nam quod nonnulli aiunt, Scœuolam in dicto §. finali speciem pertractare, in qua de enormi quoque damno esset transactum, a veritate prorsus abludit. Potius decidendi ratio est, de tota hæreditate fuisse compositionem initam eoque vniuersam querimoniam videri sopotam. Nihil de detimento immodico ac laxatione enormi in toto themate inuenitur. Cuius adseriti firmitas inde potissimum probatur, quod idem Scœuola l. 3. ff. §. II. de transactionibus adfirmat, posse matrem de

de fideicommisso transigentem cum scripto hærede petere id, quod sibi relictum sit in codicillis. Vti enim de his ista minime cogitauit, eoque non transfigit; ita vicissim adseuerari potest, eum, qui quaestionem de vniuersa hæreditate transactione extinxit, cogitasse quoque de fideicommisso, omnique, quod hæreditati & fideicommisso inerat, vel inesse poterat. Ad quod accedit, peculiarem omnibus videri constitutionem *l. 2. C. de rescindenda venditione*; neque hoc in contractu refectionem ante Diocletiani & Maximiani ætatem, ob enormem licet læsionem, inualuisse. Quocirca prorsus incredibile est, Ceruidum Scæuolam Marci Antonini æuo de hac exceptione, vel actione cogitasse in causa magis fauorabili, nempe transactione; quam est emptio atque venditio. Qui enim statuit, refectioni locum fuisse futuram, nisi transactum; is certe persuadet sibi, exceptionem, vel actionem ex capite læsionis enormis in rerum actibus inualeuisse, antequam *l. 2. C. de rescindenda venditione*, præter morem publici est facta iuris. Quod quam sit aduersum traditionibus ICtorum, etiam diobolarium, hoc est, eorum, qui communibus opinionibus tenaciter adhærescant, nemo est paullo peritior, qui non intelligat.

§. XLIV.

Sed sunt tamen, qui alio ex capite obloquentur cum grauitate, argumentum ab incerto petitum reiicientes; alii vero infirmitatem opinionis agnoscentes haud temere interea in praxi recedendum ab illa opinione vulgari, pronunciant. De posterioribus primum, utpote paradoxon proiicientibus. Quare enim quæfisen-

sententia nullo legum prædio, nulla ratione munita non erit deferenda facile? Si Saxonius doctor talia in medium ferret, tantisper tolerandus foret, quia legi suæ adiusefactus & decisionibus in foro nusquam non obuiis induratus ad alia perraro mentis aciem conuerit, idque plerunque æquum, atque præstantissimum reputat, cui longa annorum series canitem induxit. Verum qui a Saxonum pulpitis se remouit, aliamque cathedram conscedit, vbi constitutiones ac decisiones Electoris Augusti non sunt receptæ, is, credo, melius fuisset facturus, si adiectæ cautionis clausulam omittens ad saniores doctrinas amplectendas lectores suos exicitasset. Quod si enim Saxoniam excipias, non inuenietur forte memorata opinio publica lege firmata. Et quis vero retinendum credat errorem? quis ius sibi fingat incertum, si destinat opinatio inepta? Et in cathedris potissimum necesse est, vt illepidæ opiniones proscriptantur primum, deinde, vbi lex obssistit nulla, expellantur foro, denique omni machina caueatur, ne iterum irrumpant captiosæ, & iurgiis patrocinantes atque imbecillæ sententiæ. Igitur fateor, me illud eurematicum non comprehendere; maxime cum tot fere sint de iure respondentium societates, quæ contrarium tenent, quot sunt opinatores in deuia abeunt. Non sine causa huiusmodi decretum erroneum atque inutile appello; cum nemo non persentiscat, litibus aperiri fenestram, iuria iurgiis cumulari, ac hiantibus fori coruis escam suppeditari nouam, diminuendam reftius, ne partes ad pristinas controversias restaurandas impellant, leuem crepitantes inmodicæ læsionis probatio-

nem

nem, quæ sane post transactionem quoque haud raro perdifficilis est, & lucri auram captantes inani sp̄e p̄issime spe deludit. Celeriter quippe pronunciatur, iniquum esse, vt quis immodicum lucrum ferat; celeriter etiam species effingitur enormous detrimenti; sed effingitur duntaxat semel fortasse anno quingentesimo nascitura, hoc est, vt ne deficiat in probatione auctor, aut reus ex-
cipiendo consequatur triumphales honores, nec tantum pessumdet sumptuum vterque, quantum ex victoria,
mentis præcisione, sibi proposuere lucrificiendum.
Compensatum enim iri impensas in huiusmodi item
factas nemo est, qui non videat: quamuis post varias
fori tricas atque molestias deuoratas, & repugnantium
decisionum experimenta, tres tandem, lœculi interual-
lo, sententias sit quis venatus conformes.

§. XLV.

Quibus animaduersis retro ad priores eundum est,
qui ita fingunt, ne incerta & ambigua aestimatio damni
enormis figuram fusflaminet. Finge etenim, aiunt isti,
me de 200. aureis, quos negabat dare reus, iniisse trans-
actionem, & 40. accepisse; postmodum vero instru-
mentis noue repertis apparere, deberi 450. Quid hic
incerti est? Ita ingeminatur. Enim vero qui hoc
thema ad sententiam nostram confringendam excogi-
tarunt, ii quidem non decipiuntur, summam hic oc-
currere certam, quæ possit dein duplari, & ultra du-
plum augeri, infiniteque cumulari: sed nos tamen ne-
gamus interea, transactionem rescindi iure. Multo
enim adfirmatur verisimilius, consistere transactionem,
& reliquum, de quo non cogitatum, coque in transa-

I

ctio-

tionem non est deductum , peti noua actione. *Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido.* De hoc ignoto neque generatim, neque speciatim pactio coaluit. Signate enim dicitur de ducentis aureis fuisse transactum: immo vero dictum licet singas , **NIHIL AMPLIUS PETI;** nec adiectum sit **EO NOMINE.** Sic enim & hæc explicanda forent verba , ne latiorem ambitum, quam sit consensum, arripiant. Quare animus componentium cum cura inspiciendus, quid dimittere, quidue acceptare voluerint. Saltem hoc loco transgens **MAMVRRA** ducentos dimisit liberaliter atque accepit vicissim modicum : reliquos ducentos non abiecit ; quia de iis non cogitauit, nec nominatum expressit : eoque non est necessarium, ut de enormi intertrimenti, de læsione vltra dimidium, de certa in transactione summa, eiusque duplo, triploue tot verba effundantur ; cum aliud remedium suppetat, idque certius.

§. XLVI.

Atque enim est, quod in definitione nos innuisse memoria tenemus, propositum transigentium nunquam esse ex oculis dimittendum. Quare ad eorum negotium minime pertinent, quæ ab aliis facta queque non sunt specialiter traducta in petitionem præsentem. *Quod adeo verum est,* inquit Vinnius de Transact. cap. VIII. §. 10. *vt tametsi stipulatio Aquiliana perimat non modo omnes obligationes, sed etiam actiones in rem;* attamen generalis clausula stipulationis Aquiliane huiusmodi transactioni subiecta non alias questiones perimat, quam de quibus actum & cogitatum fuit. Quæ vtut comprehensu facilia, non est tamen

tamen negandum, impegiſſe hic viros celeberrimos, atque ex alio ſæpe capite infringendas iudicaffe transaſtionalium tabulas, cum ex hoc interpretamento ~~com~~-modius consulere ambigentibus potuifent. Ita funt, qui nouis instrumentis repertis instabilem pronuncia-runt transaſtionem, quod legiſſent apud Celfum lib. III. Digest. l. 12. ff. de Transaſt. SI T A M E N poſtea codicilli proferuntur; non improe mibi dicturus videtur, de eo dun-taxat ſe cogitaſſe, quod illarum tabularum, quas tunc nouerat, ſcriptura conineretur. Rectius rationes subduxif-ſent, dicendo, de codicillis non cogitaſſe, nec tranſegiſſe; proinde aliam hic cauſam eſſe, ac nouam litis in-choandæ materiam, quæ non ſit voluntate paciſcenti-um ſublata. Plura id genus themata Gerhardus Nod-tius congeſſit de paſt. & trans. cap. V. atque erudite ſol-uit, quæ non exiſtimamus repetenda.

§. XLVII.

Id namque eſt, quod vulgo aiunt, transaſtiones eſſe stri-eti iuriſ, ſeu strictiſiſma interpretationis. Nam qui tranſigit, certo modo renunciat iuri ſuo, & in illa renunciatiōne terminos ſibi ponit, quos interpretando tranſili-re nemo potest, multo minus ad ea extendere, quæ ex-preſſa non ſunt ſigillatim: niſi quidem verba generalia fuerint, & cetera tanquam ſpecies in iis contineantur. Ita qui de tota hæreditate tranſegit, eamque ſibi retinuit, de ſpeciebus noue inuentis respondere alteri non tene-bletur, cum ſpecies omnes comprehendantur ſub genere; quin neque de genere cogitare potest, quo minus etiam de vniuersis ad hoc genus pertinentibus aliiquid ſecum

commentetur, adeoque post hanc meditationem in transactionem suam compingat: vid. l. 29. C. b. t. Sed valde vero erraret, qui cum Bergero (*), Viro cetero-quin clarissimo, strictæ interpretationis transactiones modo exponeret sequenti. Meius verba protulit iniuriam continentia, aut eivalde similia. Reus offert declarationem honoris, quam demum acceptat actor & per modum transactionis a lite se destitutum promittit. Quo facto quarebatur de expensis restituendis. Bergerus rotunde compensandas statuebat; neque negabant ceteri. Ratio decisionis indicatur, quod transac-*tio strictæ sit interpretationis, nec proferenda vltra literam. Imputet, pergit, sibi actor, quod cum acceptare oblatam sibi declarationem, de sumptibus non intercessit.* Non sum ambiguus, fore iudices, fore etiam caussidicos, qui hanc basiatur sint decisionem, in primis cum teutonicis sit expressa verbis, quæ nostræ ætatis homines tam studiose confectantur, tam aude legunt, ut in his formulis complementum IC. querant, nec suam pecuniam sapientius impendi existimant, quam cum talibus mercimonii coemendis destinatur. Ego vero vehementer decipiari, si non errat I C. pragmaticus. Ecur enim, si strictæ interpretationis est transactio, acceptationem declarationis honorifica vltra mentem acceptantis extendit? Qui renunciat iuri suo, minimum dimittit. Injuria affectus actor recantationi, aut depreciationi, aut estimationi renunciat. De hac disceptabatur: de expensis nondum cogitatio in-
cidit

(*) Oeconom. Iur. lib. III. tit. IX. §. XVI. not. 9.

cidit; & hic vltra cogitata pronunciatur, & iustitiæ colore expicta in publicum emittitur definitio. Non allegabo Dalnerum, Giphanium, Breulæum, ceterosque, qui de renunciationibus sat graues edidere libellos. Ratio suadet & iuris analogia peruvincit, decisionem ab errore & iniquitate proxime abesse. Nec enim quidquam operatur illud funestum carmen: IMPVTET SIBI. Immo enim tribuat sibi ICTus, quod non reseruavit expensas illi, de quibus non transegit, quasue nunquam iactauit auctor temere. Potius strictissime capienda est acceptatio, transactionis huius anima. Qui ad declaracionem gradum fecit, & illam obtulit, sine dubio iniqua verba protulit, & liti anfam dedit. Estne vero probabile, eum tam esse voluisse liberalem, donaret ut sumtus reo, & de suo aliquid spenderet, qui, ut satisficeret sibi, egit, atque ægre declarationem ab iniuriam inferente oblatam acceptauit? Nunquam certe obseruauit, canonem vulgarem: transactiones stricte videri interpretandas, adhiberi contra transigentes ac renunciantes, ita ut illi clarius debuissent loqui, idque remisisse crederentur, quod non expresserunt signate, ac de quo ne per somnum quidem cogitarunt. Vix autem ratio dubitandi superat, nisi hanc exaggeres: generaliter conceptam fuisse transactionis formulam. Sed fac videamus, quomo-
do fuerit confecta? Er wollte mit gethaner Ehren-Er-
klärung zu Frieden seyn. Igitur inferebat Bergerus, ex-
pensas remisit. Sed audiui aliquando, omnem pactio-
nem & conuentionem magis eorum animo, qui compo-
nunt, regi, quam verbis. Vnde necessarium semper

existimauit, ut, qui interpretari & iudices agere ex æquo cupiunt, illum ex subiecta materia eliciant dignoscantque. Quanquam enim falsum non est, generale continere speciale; valde tamen ambigo, an declaratio honoris acceptata sit genus, & expensarum solutio species? omnis licet caussidicorum & iudicum pedaneorum turba huic decisioni HAVE dicat. Ego non dico.

§. XLVIII.

Vnum quod est ex facto quæsitum atque ad iurisprudentiam gentium pertinet, adnecto. Transegit ciuitas de facienda mercatura cum ciuitate finitima, ut importaret arte facta varii generis mercesque alias. Nunc in eum statim redacta est prima, ut marcescant ciues proprii, atque ad stipem fere redigantur opifices inquinili: & nō remedium in tempore adhibeatur, actum erit proxime cum ciubus & incolis vniuersis. Igitur quærebatur, possitne populus sic in angustias coactus recedere a compositione sibi adeo noxia, & perniciem mox adultera? Et posse respondi. Perbellè etenim Grotius lib. II. de I. B. & pacis cap. XIV. §. XII. n. 4. ciuitati presæ subsidio venit: *Si quo casu, inquit, contractus incipiat vergere non ad damnum modo aliquod, sed ad perniciem publicam, ita ut ab initio contractus in extensione ad illum casum censendus fuisset iniustus & illicitus, tunc non tam reuocari illum contractum posse, quam declarari, eum non ultra obligare, quasi factum sub conditione, sine qua iuste fieri non potuit.* Sola, fateor, utilitas non satis caussæ præberet deferendi

serendi transactionem. At cum in summum discrimen adducitur Respublica, transactione & foedere consistente, videlicet ut omne genus mercium importetur liberum, quemadmodum factum est initio transactionis; certe bonae fidei interpretatio flagitat, ne teneatur ex sua promissione in publicum detrimentum. Nec enim decet cauillari, gentium pacta, ac συνοφεντιν. Quare verius est, quod in Camdeni Annalibus part. IV. p. 692. Bataui respondent Elisabethæ potentissimæ Britanniae Reginæ: *Omnis conuentio quantumvis iurata, intelligitur rebus in eodem statu permanentibus, non autem illis mutatis: ac fortius pacientes obligari rei publicæ, quam proprie promissioni.* Nam etsi non mutat sapiens consilium omnibus his manentibus, quæ erant cum sumeret; quin etsi, Seneca auctore lib. IV. de beneficiis cap. 134. *nunquam illum paenitentia subit, quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam quod est factum, nihil melius constitui, quam quod constitutum;* absconum tamen foret, rebus aliter evenientibus, sponte sua ruere in interitum, ac cum fide intermerata cupere sepeliri, atque, ne iuris rigor quadanterus inflectatur, fame emori, aut saltem strenue effurire. Vnde, si in pristinum statum restituerentur omnia, cadere transactionem respondi, inque ea sententia persisto adhuc.

Plura non addo: etsi forent non penitus spernenda.



EMENDANDA:

p. 7. l. 12. lege *tintinnabula*.

p. 24. l. 4. lege *videtur*.

p. 42. l. 14. lege *inoleuit* pro *inoluit*.

PRAESES.

RESPONDENTI

S, P, D.

Incertum habeo, ex vtra re maiorem
ceperim voluptatem, virtutene tua,
an studio in liberales disciplinas quaf-
cunque insigni? Certe vtrumque
iucundissimum fuit; tum quod pro-
be scio, non propterea in scholas ad disputan-
dum mitti adolescentes, vt ibi variarum opinio-
num sarcinulas colligant; tum etiam, quod am-
biguum mihi non est, virtutem sine scientiae lu-
mine non tam homines sapientes atque viles
Reipublicæ efficere, quam ingenii hebetioris in-
dicia sœpe sœpius prodere. Quare rectius vtique
incedunt, qui fororio nexu eruditionis ac probi-
tatis ornamenta coniungunt, vt sic, inter primos
mortalium, gratia, cognitione & modestia emi-
neant, &, inter opera religionis, a litteris & pru-
den-


K

den-

dentia instructiores appareant ceteris. Quod
quum tu in Fridericana nostra luculenter præ-
stiteris, huiusque laudis argumenta tecum se-
ras, dubium, mihi non est, quin sis domi, hoc est,
in Bernatum splendidissima ciuitate indeptu-
rus Patronos, qui morum in te elegantiam, at-
que doctrinæ decora illico perspiciant, & post
benevolam gratulationem, suo te fauore dignissi-
mum iudicent. Ego interea dolore partim affi-
cior, quod e medio nostrum discedens illam vir-
tutum ac bona mentis fœcundam familiam, te-
cum asportes, qua me recreatum ſepe fuiffe
publice testor; partim etiam gaudeo, habere ſa-
pientifimos Reipublicæ tuæ proceres, habere
PARENTEM optimum, de quo præstantissima
quaque sperent, quemque cognitum ament, &
amatum rebus indies maioribus applicent cum
fructu. Vale & mei Musarumque nostrarum
semper memor viue. Halæ Magdeburgicæ

III. Kalendas Maias
cl̄ locc xix.





Halle, Diss., 1719
(A - G)

ULB Halle
006 535 038

3



VB 18

Retro ✓



Farbkarte #13

B.I.G.

| | | |
|---------|--|--|
| Black | | |
| 3/Color | | |
| White | | |
| Magenta | | |
| Red | | |
| Yellow | | |
| Green | | |
| Cyan | | |
| Blue | | |



SINGVLARIA

DE

**TRANSACTIO.
NVM STABILITATE
ET INSTABILITATE
CAPITA.**

DISSERTATIONE IVRIDICA

DISPV TABVNT

PRAESES

**NICOLAVS HIERONYMVS
GVNDLINGIVS ICT.**

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIAE
REGI A CONSILIIS INTIMIS ET ECCLESIASTICIS
IVRIS NATVRAE AC GENTIVM ITEM QVE ELO-
QUENTIAE ATQVE ANTIQVITATVM PRO-
FESSOR ORDINARIVS

ET

RESPONDENS AVCTOR

II. KALENDAS MAIAS cIɔ Iɔ cc xix

IOANNES MULLERVS
BERNAS HELVETIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.